
The Institute of Mediaeval Studies
LIBRARY
Toronto, Ontario

HISTORIA
CATHEDRALIS ECCLESIAE LABACENSIS

AUCTORE

JOANNE GREGORIO THALNITSCHERO I. U. D.

LABACI ANNO MDCCI.

LABACI 1882.


Condit in Æuum
Providus
Ioannes Gregori, Thalnitscher de Thal-
perg Carniol, Labacensis. æt: suæ 45. A: 1700.

HISTORIA
CATHEDRALIS ECCLESIAE LABACENSIS,

S. NICOLAO ARCHIEPISCOPO MYRENSI SACRAE,

CUM CHRONOLOGICA EIUSDEM FABRICAE, VETERIS ET NOVAE, NARRATIONE; CUI ACCESSERUNT SACRA AEDIFICIA ET MULTIPLICES ERUDITIONES IPSAM BASILICAM CONCERNENTES.

AUCTORE IOANNE GREGORIO THALNITSCHERO I. U. D.,

INTER ACADEMICOS OPEROSOS LABACENSES DICTO PROVIDO.


LABACI ANNO AERAE CHRISTIANAE MDCCI.

LABACI, MDCCCLXXXII.

TYPIS „NARODNA TISKARNA". — SUMPTIBUS EPISCOPALIS ORDINARIATUS.

S. NICOLAO,

ARCHIEPISCOPO MYRENSI, TAUMATURGO BARENSI, CATHEDRALIS ECCLESIAE LABACENSIS TUTELARI VENERANDO, EJUSDEMQUE DIOECESIS PER CARNIOLIAM, PARTEM STYRIAE ET CARINTHIAE DIFFUSAE CAPITI, OMNI VENERATIONE DIGNISSIMO, TEMPLI EIUSDEM HONORI DICATI, CHRONOLOGICAM ENARRATIONEM DEVOTISSIMUS CLIENS OFFERT AC EXHIBET.



Ad lectorem benevolum.

Libet praeliminio paucis suscepti operis rationem reddere, qua videlicet occasione, cuius consilio, et qua intentione hoc opus susceperim. Postquam antiquitates Labacenses, accuratâ, quâ potui, indagine perspexeram, easdemque, vel ad nostra tempora ab ingluvie edacis temporis servatas, vel noviter detectas, in epitome tenui penicillo redactas ac expressas ad notam sumerem, nec non in excitato novo opere cathedralis Templi omnia gnaviter perpenderem, obtulerunt sese variae eruditiones et monumenta, quae, vel ibidem detecta, vel alibi reperta, novelae Basilicae moli impositae fuere: cupido incessit animum, et haec et alia ad illam spectantia, ad notam sumere. Nec defuerunt amici mei arbitrii compotes, qui genium secundarunt, imo institerunt, ut cum aliunde historico nobili studio addictus sim, ac aedes e regione dictae fabricae, unde omnia etiam minuta observare possim, posideam, hoc opus assumam.

Deterrebat animum, cum nullum hactenus compererim, qui speciatim de veteri Basilica tractasset. Attigerunt quaepiam de ea Schönlebius et Valvasorius, nec non Anonymus quidam in sua Germania austriaca. Verum, quia non omnia, quae ad ipsam spectant, quisque eorum complexus est, omissis rebus notabilioribus modicum quid per nebulam quasi perspexerunt et attigerunt. Nescio an id fato, vel incuriae majorum nostrorum adscribendum. Hinc ne sera posteritas nos pariter debito nostro, quod origine contraximus, minus satisfecisse inculpet, vacilantem animum induxi, ut accurate (non ad captandam vanam auram, et ut in eorum numerum, qui eruditione praediti hanc aetatem condecorant, adscribar), pervestigatis ac designatis eius Basilicae singulis partibus, pro viribus separato volumine comprehenderem, quo templum nostrum a prima origine, ad nostra usque tempora deductum inspici potest, quod, quamvis humanas vices iteratis vicibus perpessum, ex ignibus illustrius, e ruinis, quas minabatur, firmius, et nobilius surexisse vidimus ac actu experimur; longe majori splendore ac majestate post ruinae minas qua marmoreis, qua picturatis ornamentis, ad coelum usque surgere, quod non solum indigenae, sed et orbis excelsae molis excellentiam admirabundus suspiciet.

Nec vanus augur fuero, si a tot summae dignitatis et in rebus cognoscendis perspicatissimis viris decantato vaticinio subscripsero, hanc molem archiepiscopali sedi praeludere, quam sub hoc, quo versamur, auspicatissimo austriaco sidere annuente Numine nobis policemur, ac quod propheta Aggaeus de templo Hierosolimitano, hoc de nostra Basilica Labacensi efferemus:

„Magna erit Gloria Domus istius novissimae".

Methodum, lector benevole, qua labores meos chronologica narratione comprehendam, tibi breviter indico: Veteris Basilicae et novae figuram, partes praecipuas, per quos erecta et restituta, et quacunque memoratu digna, vel interiere, vel supersunt, pro possibili complectar, non conjecturis, sed authoritate, documentis, aut propriâ experientia comprobans. Qui etenim partes boni agit historici, ea,

quae fuerunt, oculis legentium exponit, secus pictor et poëta, qui pariter ea, quae possunt esse, conatur exprimere.

Nec expectes exactum opus, sed immaturam ennarrationem, ceu opus prodromum, luculentiori tractationi a feliciori ingenio prosequendum. Et si me in aliquibus defecisse animadverteris, tua, qua praeditus es, humanitate, errores ne adscribas meae voluntati, sed vastae materiae, brevi quatuor tantummodo mensium spatio horis successivis delineatae, notitiarum insuper defectum, aut in archiviorum latebris sepultae aut iniuria temporum abrasae, quae ad perfectius exarandum opus deservissent.

Illud demum tibi expono, me plano, intelligibili tamen stylo usurum, ut sine fucis nuda veritas elucescat. A verbis abstinebo supervacaneis, ne spetiosum oratorium stylum prosecutus, solitâ ac planâ utar lectione, ut sine pretiosi temporis jacturâ, maturos potius fructus, quam frondium inutilem apparatum oculis legentium subiciam.

Poëta dixit vere:

„Difficile est nimium variis servire palatis": quod in cibis est invenire, hoc in libris, nimirum non omnibus placere omnia.

Thomas a Kempis: „Non quaere quis hoc dixerit, vel scripserit, sed quid dicatur, attende".

Nemo facile edere in lucem potest opus aliquod, quod non osorum, cryticorum et zoilorum censuris subjacere debebit; judiciis namque ac censuris parum rectis subjecta reperiunt omnia juxta illud poëtae:


„Diversis diversa placent, quod spreverit unus
Alter amat, cunctis nemo placere potest."

Nec id mirum, cum, iuxta poëtarum fabulas, nec dii a cavilatoribus exempti sint.

Scriptores moderni immerito carpunt, quod ex aliis conscribant, sententias repetant, et aliorum opibus ditent libros suos et exornent. Nullus enim, ut constat, tam ignarus est, qui marte et diligentia sua librum non attexat proprio labore, proprio acumine, eruditione, venustate ac ordine, quae oleum sapiant, licet enim exscribere manualis dumtaxat labor sit: at quod valde est considerandum, sapientis est ordinare. Laborat enim mens non solum excerpendo et colligendo, apis instar, quod melius est, sed et ordinando, ut testatur Seneca, Ep. 75. „Sapientes apes debent immitari, quae vagantur, et flores ad mel faciendum idoneos carpunt; deinde quidquid attulere disponunt, et per favos digerunt. Ille quoque has apes debet imitari, et quaecunque ex diversa lectione congessit, separare, deinde adhibita ingenii curâ, et facultate in unum saporem varia libamina confundere, quorum dulcedine ad evolatum sectandum aliciat. De quo Lucretius, Lib. 3.

Floriferis, ut apes, in saltibus omnia libant,
Omnia nos itidem deposcimur aurea dicta.

Hinc pari ratione placuit mihi in hoc meo opere apem aemulari, quae ex alienis floribus favos conducit dulces.



CAPUT I.

Quorum consilio et industria novum opus fabricae reassumptum et propagatum.

Cathedralem Basilicam Labacensem descripturus, illam inquam vetustate celebrem, encomiis claram, ac religione inclytam, recte me fecisse arbitror, si primordio eorum, qui hoc novum opus excitarunt, meminero, tum ea, quae occasione fabricae accidere, adnexero, cum hoc ipsum materiam primo descriptioni nostrae sufficientem suggesserit, sine quo sterilis valde, et nuda, ut ex decursu patebit, decurisset narratio.

Meditabatur anno 1670 Josephus, XII. numero ex episcopis restauratae sedis episcopatus Labacensis, aedem, vetustate ruinam comminantem, in ampliorem et magnificentiorem redigere formam. Communicato cum peritis consilio novam ab insigni quodam, ut accepimus, eius tempestatis architecto delineationem chartae mandari jussit, quae incuriâ eorum, quorum intererat eandem servare, deperiit. Verum excelsum hunc animum ac cogitationum amplitudinem cum sumptuum terrore, tum graves aliunde supervenientes curae a proposito abduxerunt, cuius loco chorum majoris commoditatis gratia anno 1674. dilatari et aram majorem novâ artificiosa icone exornare decrevit. De quo fusius suo loco. Ab hoc itaque tempore totum opus, sua sede licet infirma, ac pluribus partibus vetustate confecta, haesit et, rimis laterum minus arcto nexu cohaerentium, intuentium oculis ostentando proximam ruinam medelam expectabat, quam tandem a germano meo Joanne Antonio Thalnitschero, cathedralis Ecclesiae Labac. Decano, ac in spiritualibus per dioecesim Labac. Vicario Generali, citra jactantiam dictum, obtinuit. Quod sic accidit: praefatus Decanus, quod quinquenio divino spiritu afflatus, animo gestabat, intra se de sumptibus, pro tam magnifica mole necessariis conquirendo et disceptando, tandem in vigilia S. Francisci Xaverii, 2. Decembris anni saeculi in finem vergentis 1699., in aedibus Ill. et Rdss. Praepositi Lab. Joannis Baptistae Preschern, in conversatione familiarium consuetâ praesentibus: Joanne Pichi et Francisco Godefrido L. B. a Pilichgraz, canonicis Labacensibus, nec non Maximiliano Leopoldo Rasp, plebano Lythopolitano, necessariam vetustate dehiscentis cathedralis Ecclesiae restaurationem pluribus exposuit. Omnibus circumstantiis rite perpensis arrisit omnibus propositum, ad quod tam sacrum opus promovendum, omnes, non solum consilio pro possibili se cooperaturos, sed et supranominatus Praepositus, Decanus, Canonicus L. B. a Pilichgraz et plebanus Lythopolitanus, quilibet horum 500 florenos contribuituros sponderunt (loquor omnia ex propriâ scientia, cum actui una adfuerim), quod ipsum dein speciali libello in hunc finem comparato, quo omnes manu propriâ sese subscribere solent, qui et quantum ad hanc fabricam concurrere velint, scriptis confirmarunt. Hinc merito isti quatuor inter primos motores et benefactores habendi.

Stabilito firmiter inter primates consilio, ratio exposcebat, ut illud ibi exponeretur et palam fieret, quorum consensu et opere opus ipsum promovendum erit. Hinc omnium primo consultum esse videbatur, ut hoc tam sanctum propositum, antequam Celsissimo Principi Episcopo Labacensi deferretur, Illustriss. et Reverendiss. Capitulo ad deliberandum proponeretur. Habito itaque consistorio capitulari die . . . omnes praesentes non solum in hoc tam pium opus unanimi voto ultro consensere, sed et inter hos D. Georgius Wetstain ad contestandum suum zelum catenam auream, quam ab Augustissimo regnante imperatore Leopoldo Magno in gratiam specialem accepit, in hunc finem obtulit, ac tandem conclusum, ut quantocius id suae Celsitudini proponeretur, quin ad id non solum suum gratiosissimum consensum impertiri,

sed pariter, ex innato augendae Dei gloriae zelo, ope et consilio ad promovendum tam sanctum opus cooperari non dedignaretur.

Paucis abhinc diebus, quae hucusque acta et consultata fuere, celsissimo Principi Sigismundo Christophoro ex comitibus de Herberstain, XIII. episcopo Labacensi, detulit nomine Capituli Praepositus Labacensis, qui, instructus de singulis, non solum in id consensit, sed omnibus viribus sese cooperaturum spopondit, ut tam pium opus ad optatum finem deducatur. Quamobrem de hoc opere tam importanti rite aggrediendo in aula episcopali saepius agitatum, duo plurimum in primo congressu sunt exposita. An in integrum sit reaedificanda Basilica, vel solum, relicta ea parte, quae a Josepho Episcopo, ex comitibus de Rabatha, ante tria lustra priori fuit addita, quod reliquum est? Secundo, si funditus dirruenda, quo verti deberet, an ad orientem, ut hactenus stetit, vel ad septentrionem, ex ea ratione, ut facies Ecclesiae ad plateam publicam vergeret et omnium oculis pateret. Redeundo ad primum, exoptassent id omnes, ut funditus reaedificaretur, verum cum media hactenus exhibita longe non sufficerent ad tantam molem in opus redigendam, conclusum, ut relicta dictâ parte chori, quod reliquum est dirrueretur, ac ad architectonicas regulas redactum eidem adiungeretur. Verum hoc loco notandum, quod haec sententia, successu temporis cum Deo sic disponente nova sufficientia media prioribus accesserint, ut ex sequentibus patebit, sit imutata, ac totum templum funditus fuerit disiectum. Ad secundam quaestionem accedamus, an ad orientem, seu ad septentrionem poni debeat? Non deerant, qui ad septentrionem locari debere censerent, hoc principaliter motivo inducti, ut facies Ecclesiae omnium oculis prostaret, ac ex omni parte liberius staret; cum vero plurima ingentia obstacula sese objicerent, ad orientem, ut denuo ponatur, omnium votis stabilitum.

Videamus modo dicta obstacula. 1mo. Templum vertendum foret necessario ad ripam fluvii praeterlabentis protrahi deberet, quod ipsum duplo majores sumptus requireret, horum autem defectu, uti dictum, conclusum, ut solum medietas veteris templi reaedificetur. Hinc pro 2do., si ad septentrionem verteretur, necessario domus contiguae, utpote Vicariorum, Sacristae, Capellae magistri et schola publica dirrui deberent, in quibus comparandis magnum aes exponeretur, nec constaret, quo loco ii, ut vicini denuo Ecclesiae forent, accomodari possent. — 3io. Haec licet obtenta, non sufficerent, sed necessario armamentarium civicum et locus officinarum, quibus quinquies per annum floret mercatus et dies emporii, a Magistratu obtineri debuissent, unde non parva difficultas oriretur. 4to. Obfuit stabulum aulae episcopalis, cuius extrema pars eo porrigitur; haec pariter disjici, et eo applicari debuisset, non absque magno incomodo dictae aulae, cum tali loco privata, angustior redderetur. 5to. Dubitabatur de stabilitate telluris, supra quam collocandus erat tholus, si ad ripam fabrica protraheretur, quod fors crassioribus lignis in fundamentum missis non absque difficultate id primo firmari debuisset.

His proinde rite perpensis motivis, et cum aliunde ratio suaderet, ut quantum fieri potest, Ecclesia neo erigenda iuxta Patrum dicta et sententias, ad orientem Priscorum more aedificetur, unanimi pariter voto conclusum, ut laudabilibus prioribus vestigiis inhaereatur, ac ad orientem templum denuo ponatur. Prisci enim fideles, teste sancto Leone*), solem adorando, nascentem Christum adorare, praesertim Natalis Domini die, existimarunt, ac converso corpore ad nascentem solem curvatis cervicibus in honorem eiusdem splendidi orbis se inclinarunt. — Felix itaque ac ter beatum Labacum censendum, cum eiusdem Princeps, Basilica, juxta ritum a romana Ecclesia approbatum ad Orientem respicit, et hoc genere templo Vaticano, Principis Apostolorum, fortunatius sit, cum hanc ingrediuntes Solem Christum, absque eo, quod faciem revertere cogantur, salutare queant, e contra Romae Basilicam Vaticanam ad-

*) Serm. 7 de Nativ, C. 4.

euntes prisci Romani, teste Philippo Bonani e S. J. in sua historia eiusdem Templi, fol. 128., cum summae religionis esse ducerent orientem solem, quo Christus praefiguratur, adorare, e contra eadem Ecclesia ad occidentem sit locata, et sol e regione eiusdem faciei exoriatur; hinc superatis gradibus in area converso corpore solem salutare, et ad imaginem, Christum Dominum repraesentantem, preces effundere solebant, quae imago ea de causa eo substituta fuit, ut Christi fideles ad orientis plagam conversi coram inclinato poplite preces effundere queant.

Cum primum hoc promulgatum, vulgus in varias ferebatur opiniones, qui hoc a Decano assumptum opus laudare, qui, ad id forti animo aggrediendum, eundem stimulare, alii, ut opus promoveatur pro possibili se cooperari velle spondebant. Non deerant e contra pusiles corde, qui id triginta, alii quinquaginta annorum spatio ad finem perduci posse vix arbitrabantur. Nonnulli invidiae morbo laborabant, qui, quidquid meditaretur, cooperiant, adducendo non unius arbitratu dependere debere, aliter locari debuisse, et tot alias ineptas et minus fundatas formando objectiones. Haec vero omnia aequo tullit animo Decanus, non ignarus, quod in omni ardua re in publicum producta, licet exactissima sit, reperiantur obtrectatores, et quod ipsi perficere sibi minus fidunt, aliis invident. Hinc nec ipsum voces vulgi, non defectus artificum et eorum aemulatio, non calumniae obtrectantium, vel potentiorum contumeliae perculerunt, ut a proposito desisteret, imo his incitatus magis in dies aestuare, ac generoso amore erga divum Nicolaum, Basilicae patronum, omnia despiciens fabricam promovere conabatur. Nec deerant amici, qui stimulum addiderint. Labacensis quidam, non solum illustri sanguine, quam litteris clarus, cum eidem Decano 16. Jan. anno 1701. ad suum natalitium diem omnia fausta precaretur, sequenti anagramate lusit:

Joannes Antonius Thalnitscher, Decanus Labacensis.
Anagrama.
Novas hinc in Annos Vestes Cathedrali sancte Libans.

Subiunxit sequens chronographicum:

MItras DeCano Cano.
Quas meruit MItras, pleno virtute DeCano
Ex toto, fas est, corde poëta Cano.

CAPUT II.

De architectis, qui consilio vel propria industria ad perficiendum opus concurrerunt.

Postquam praecedenti capite eos, quorum consilio et industria opus inchoatum, perspeximus ad ulteriora progrediamur. Decanus itaque, ne quid incaute assumeretur, et ut insignis haec moles eleganter aedificetur, quae olim magnis etiam viris admirationi esset futura, accersitis undique viris praestantibus et architectis, operi manum admovit. Primum cum sequentibus Labaci existentibus serio egit: Carolo Martinucio, Francisco Ferrata et Michaële Samerlio. His addidit Fratrem Florentianum extra urbem in reparandis Capucinorum coenobiis degentem; Petrum Janni, Goritiae commorantem et finissimum architectum Andream de Puteis, vulgo Pozo, e societate Jesu, Romae existentem. Quo autem ordine opere eorum usus fuerit, ex his quae subjungemus patebit.

Elegit sibi primum Carolum Martinucium, Forojuliensem, septimum supra vigesimum annum non explentem, sed praeceptis architecturae optime imbutum. Hic non solum veteris Ecclesiae plantam delineavit, sed et novam meditatus est formam, cum quo saepius consultatum, qualiter novum opus veteri apte adjungendum foret, cum ea tempestate, ut ex praecedentibus constat, necdum deliberatum fuerit totum templum reaedificandi, sed pars illa, quae ante tria lustra addita fuit, persistere debuisset. Perfecit proinde ligneum typum seu modelum, in quibus perficiendis excelluit, in quo omnia tam interiora quam exteriora unâ cum tholo apte videri poterant. In quo perficiendo tres consumpsit septimanas et condignum inde reportavit praemium. Eidem vero, utpote minus maturo, molem confidere non arbitrabatur, cum fama percrebuerat, quod aula venatoria principum ab Auersberg, vulgo in Ebersfeld, duobus milliaribus Labaco dissita, quam is in elegantiorem formam deduxit, parte unâ dehiscere et ruinam minari coeperit. Vocatus proinde Frater Florentianus Capucinus, Mediolanensis natione, vir profundae scientiae et exactae experientiae, die 12. Aprilis anni 1701. Labacum venis, ubi intra decem dies, quibus hic morabatur, binas confecit ichnographicas delineationes una cum tholo. Quibus exhibitis discessit Varasdinum ad neomonasterium ibidem conficiendum, ubi paulo post septuagenario proximus, non absque luctu Decani diem clausit.

Accersitus praeterea Franciscus Ferrata, Mediolanensis pariter natione, qui post obitum Marceli Cerosolae, eius aetatis insignis inclyti ducatus Carnioliae architecti, in eius locum subrogatus fuit. Contulit is cum Fratre Florentiano, Capucino, suo compatriota, cum Labaci existeret, de omnibus, a quo non modicum lumen in singulis hausit. Exhibuit et suam plantam seu ichnographiam, nec non faciem lateralem interiorem, non absimilem dicti Fratris Florentiani. Quem secutus Michael Samerlius. Labacensis is ortu fuit, vir summae bonitatis et industriae, quem ob has rationes fabricae director singulari favore prosequebatur, ac per decursum operis eiusdem sedulitate et fidelitate plurimum usus. Hic pariter mentem suam et judicium carthae detexit, et plantam eiusdem fabricae abs se compositam communicavit. Verum omnium horum non satius Decanus; cum neoepiscopum Ferdinandum, ex illustriss. gente Künburgica, Romae in negotiis publicis versari cognosceret, transmisit eidem litteris plantam, seu ichnographiam Basilicae, cum suis numeris longitudinis et latitudinis. Qui precibus eiusdem laudabilibus facile flexus, cum dictam Basilicam abs se mox incolendam perspiceret, varias ideas saepe memorati templi a famosissimo architecto Andrea de Puteis, vulgo Pozo, e Societate Jesu, suis sumptibus formari fecit. Delineavit is ea, qua polet arte, eiusdem ichnographiam, tholum, faciem externam anteriorem, et binas facies laterales interiores, una cum tholo duplici, quorum unus duplo majores altero requireret sumptus. Iuxta hoc itaque Roma transmissum prototypon Franciscus Ferrata 20. Maji, an. 1701. novae fabricae formandae lineamenta duxit; ac tam ille, quam Samerlius, quisque cum suis operariis opus aggrediuntur. Cum vero Franciscus solus operi praeesse praetenderet, ac alterum supplantare pararet, nec id efficere posset, bile commotus, 27. Julii una cum nonnullis suis operariis destitit ab opere. Cum hoc Decano relatum esset, minime id aegre tulit, cum eundem non eo fervore, quem rei dignitas poscebat, operi incumbere, sed aliis magis intentum, saepissime sese absentare, nec generosi quidquam animo gestare animadverteret; non autem multum temporis effluxit, cum luculente caperet, quod non, uti credidit, amplius desideretur, poenitentia ductus, lubens iterum sportam a se abjectam suscepit, ac denuo assumi, per fidentiores Decano, perperam tentavit. Hic e contra Francisci Bombasii, Veneti natione, civis Labacensis, et Latomi, architectonicis regulis instructissimi, quem sors comparasse videbatur, dexteritate, et Michaëlis industria opus prosequitur. Franciscus provinciam sibi impositam impigre suscipiens, suas de omnibus communicavit rationes, ac sic collato consilio paries, qui jam ab humo extare coepit, primo anno ad medietatem deducitur.

Quoadusque Decanus tholum perficere meditabatur, solicitus erat de artifice tali comparando, qui singularis experientia specimina dedit, et actu tale quid alibi locorum ad opus redegit. Varii e locis celeberrimis eidem proponebantur: Mediolani, Salysburgi, Viennae et Pragae existentes. Egit is cum singulis per suos procuratores, ut hiemis tempore mature de omnibus prospiceret. Propositus proinde fuit . . . . architectus Salysburgensis, vir sat famosus, qui in construendo templo S. Petri ibidem strenuam navavit operam. Hic requisitus, bis per annum huc excurrere, tribus septimanis persistere, operi incumbere, ac in omnibus disponere se obtulit, si eidem soluto viatico annuatim 800 fl. errogarentur.

D. Canonicus Gladigh . . . . . . Gabrielli, excellentem architectum Viennensem tuebatur, cum quo, Viennae existens, dudum notitiam contraxerat; qua occasione se is ultro obtulit, cum fama novi aedificii Cathedralis Basilicae percrebuerat, hanc sportam assumendi et scripsit hac de re 9. Januarii anno 1701. Abbati Caesari, ut cum eodem de his tractare velit.

Suasit praeterea J. Baptista Franco, Labacensis artis fusoriae magister, ut . . . . , ex architectis Pragensibus, qui aliunde huc Labacum, ubi, principia architectonica edoctus et tribui rchitectorum adscriptus esset, suum domicilium meditabatur, ex eo, quod vino potius quam cerevisiae potu assuetus sit (quod tractu temporis mortuo Ferrata exegit) assumeretur.

His omnibus ad trutinam sumptis, cum ad hos comparandos maximos sumptus requirere cognosceret Decanus, tholum ad alia tempora differe decrevit, de reliquo vero vestigiis peritissimi Pozi inhaerere statuit; non enim, uti speratur, cum meliora affulserint tempora, deerunt, qui opus incoeptum, te fors idem ipse Decanus, ad optatum perducent finem. Tholus proinde famosissimo penicillo Julii Qualei concreditur. Meditabatur praevie Decanus eundem tholum Andreae de Puteis (qui Viennae templum Collegii S. J. suo eleganti penicillo coloraverat), utpote in prospectivis formandis unico, dexteritati committere, quod lubens, ut ex litteris P. Andreae Schweiger S. J. patebat, perfecisset, nisi ingentibus laboribus ibidem pluribus annis vix finiendis, obrueretur. Et haec de tholo. Ad fabricae artifices redeamus.

12. Aprilis anno 1702, antequam opus fabricae secundo anno reassumeretur, vocatus adest Fr. Josephus Capucinus architectus. Hic vero cum inepta quaepiam suggereret, ac tuguria potius, quam moles construere aptior perspiceretur, dimissus fuit, utpote Florentiano eiusdem ordinis, de quo supra diximus, longe inferior. Paulo post 13. Maji appulit Labacum, ad instantiam Rdiss. Matris Eleonorae Margaritae, Superiorissae Ursulinarum, Petrus Janni, Mediolanensis, vir non levis experientiae. Postquam eidem singula exposita sunt, illa, quae hucusque artifices egere, rite approbavit.

Hoc loco notandum venit, quod Paulus Jugobiz, murariorum subpraefectus, vulgo „Polier“, utpote vir consumatae experientiae, strenuam in promovenda fabrica navaverit operam. Quo fatis erepto, Gregorius Matscheg, vir optimae experientiae, judicii et industriae, opus ad finemdeduxit.

ANDREA POZO E S. J.
ARCHITECTORUM FACILE PRINCIPE
DELINEANTE.
FRANCISCO BOMBASIO VENETO
ARCHITECTO, ET LATOMO
DIRRIGENTE.
MICHAELE SAMERLIO LABACENSI
MURARIORUM PRAEFECTO
INVIGILANTE
OPUS PERFECTUM.
ANNO CIↃ. IↃ. CC. V.

CAPUT III.

De planta et mensuris antiquae Basilicae.

Mensuram eiusdem Basilicae veteris, quam Carolus Martinucius ad instantiam Decani accurate desumpit, antequam ea diruta fuit, huc afferimus, ne hanc a nobis sera desideret posteritas. Sanctuarium, seu, ut vulgus audit, chorus, longitudine orientem versus protensus pedibus 65, largus 25. Sacrarium a dextris ad sacram supellectilem Congregationis ss.mi Corporis Christi servandam largum pedibus decem, totidemque longum. Sacrarium vero a sinistris, ubi clerus vestibus sacris induebatur, largum 15, et longum 35. Corpus Basilicae longum pedibus 74, largum una cum sacellis, tam ad meridiem quam boream, locatis pedibus 72. Turris campanaria longa pedibus 24, totidemque larga. Tota Basilicae longitudo, una cum turri eidem annexa, ab oriente ad occidentem excurrebat pedibus 153.

Hae sunt Basilicae mensurae, quae in eam longitudinem, et latitudinem non uno ductu coaluit, sed diversis temporibus in illam excrevit magnitudinem. Ultimam ante tria lustra an. 1674. Josephus, ex comitibus de Rabatha, sanctae Ecclesiae Labacensis Episcopus, manum imposuit, cum eiusdem sanctuarium 15 pedibus extenderet. Sacella lateralia, adiuncta anno 1519., ut costat ex inscriptione ibidem eruta, quam suo loco dabimus. Primum templum, quod nautae in honorem sui Tutelaris divi Nicolai septeno a parta salute saeculo, ut traditione accepimus, excitarunt, navim templi secundi non excedunt 6 pedibus, ut ex ruderibus observavimus. Sub choro musices tempellum depictum ostendimus, quod id ipsum primum templum fuisse vulgus jactat. Ego, cum nihil hac de re scriptum, quo initi possim, inveniam, rem in medio relinquo. Scimus nihilominus in rebus tam antiquis, et ab aetate nostra remotis etiam traditiones vetustas aliquando ab historicis locum habere. Quinque id erat ateralibus fenestris, gothico ordine exornatis, instructum. In medio templi prominebat turris campanaria, una contignatione apicem templi supergrediens. Aditus ad Ecclesiam in facie eiusdem per unam patebat portam, cui tres incubuerunt fenestrae, quarum una figurae circularis, reliquae bis longae.

Notandum hoc loco venit, quod in Aula episcopali cum a Sigismundo Christophoro, Episcopo Labacenci eximio, neo ambitus in interiori atrio funditus extrueretur, simulacrum Fortunae lapidi incisum fuerit detectum, unde non vano argumento ibidem fanum Fortunae extitisse credimus. Sapienter proinde majores nostri non procul inde Basilicam, urbis principem, moliuntur, ut, ubi falsae ac volubilis Fortunae vaticinia personabant, in aetern um duraturum Nomen Domini et infalibilia Divi Nicolai oracula enunciarentur. Habemus proinde campum, summam Dei bonitatem deprecandi, qui locum, superstitioni olim destinatum, mutatis contra longe contrariis conditionibus, omnium virtutum portum, omnisque religionis et sanctitatis columen esse voluerit.

Capiti huic summam adjiciemus, si plantam a supra memorato Martinucio delineatam, lectoris oculis subjecerimus. (Vide fig. 1. in ap.)

CAPUT IV.

De partibus Basilicae interioribus.

Exposito fundamento et plantae mensuris, reliqua sunt adnotanda, quae partem interiorem attinent. Singula autem, cum scenographice delineare tempus non vacaret, calamo pro possibili supplere

conabimur, ne sacra haec vetustas e memoria hominum plane depereat. Tres assurgebant naves non pari altitudine columnarum: media ad sumum altare tendenbat, illa a dextris capellam Sacratissimi Corporis Christi, altera a sinistris aram S. Andreae Apostoli respexit. Exstabant autem columnae tum harum navium, tum chorum musices sustentantes universim 14 numero, gothico ordine exornatae. Laqueare auro collucentibus lapilis in varias formas sectis, ac variegato colore obductis vario nexu intuentium oculos irretivit.

Parietes utrinque a calce pedis ad apicem picturis exornabantur, de quibus suo loco. Sanctuarium, seu chorus Canonicorum, antequam a Josepho, Episcopo Labacensi, reformaretur, pariter depictum: plurima vexila et scuta illustrissimarum familiarum, gentis utpote Auersbergicae, Ursinae, Lambergicae, Barbo, Rauber, Sebriach, Trautson, de Schreyer, et plurium aliarum insignia, cassides et arma, veterum more gestabat.

Nunc quot fenestris instructa, quantisque portis pateret, expediam. Per quaternas portas aditus aperiebatur, si illam, per quam celsissimus Princeps Episcopus ex aula ad Ecclesiam ad functiones solemniores peragendas transire solebat, in calculum sumimus; per turrim campanariam ad chorum musices ea aditum praebuit, inde per scalas secretas templum ingrediebatur. Porta principalis sub eadem turri occidentem respiciens in quinque pedes latitudine extensa, altitudine decem attingente. Porta, quae ad meridiem patuit, quam olim tribus sartorum liberali manu confici curavit: huic altitudo 16, latitudo vero septem palmarum. Quarta e septentrionali plaga per sacrarium aditum in Basilicam praebuit. Latus unum totius templi decem fenestras ostentabat, computando singulas, totidemque aliud e regione positum; ab oriente unam in forma dimidiatea lunae habuit, quae ingenti luce chorum sanctuarii replebat, reliqua navis inferior tantisper obscurior veterum basilicarum more. Basilicae demum muri ex lateribus coctis et lapide aedificati tres pedes superabant, verum quatuor non excedebant. Pavimentum partim marmore coloris albi et nigri, partim latere erat compactum. Tectum modo lustremus. Id erat mira arte et firmitate confectum, tantae altitudinis, quantae ipsa Basilica. Trabes majores ingentis erant magnitudinis, quibus transtra praestiterant; his tigna ingentia super imposita, quae utrinque deducta ad culmen ipsum convenientia simul jungebantur, et firmissimis capreolis connectebantur, canteriis superstructa. Media pars navis, utpote major, tegulis lateritiis, chorus e contra, seu sanctuarium, tegulis saxeis vulgo „Schüfferstein", tegebatur: sicque amplissimi tecti moles adversus coeli tempestates, et nivium pondera durissima contignatione solidata firmissime stetit.

His placet adnectere ea, quae de hoc ipso templo nobis communicata fuêre.

CAPUT V.

De sacris altaribus, eorum fundatoribus et beneficiatis.

Duodecim altaria in veteri Basilica Labacensi comperimus, si aram Beatissimae Mariae Virginis, quae olim in medio sanctuarii stetit, caeteris undecim adjungimus. A summo altari, ut par est, initium sumamus. Divo Nicolao, archiepiscopo Myrensi, qua Patrono principali urbis et totius dioecesis Labacensis, sacrum, eleganti scalpro fabrefactum altitudine suâ apsidem templi olim attigerat, donec Josephus, Episcopus Labacensis, cum chorum eiusdem Basilicae, majoris lucis capiendae gratia, prolongaret, id reformaret, ac eidem anno 1674. imaginem peritissimo penicillo Equitis Liberi, Veneti, summâ arte factam, substitueret. Ad hoc altare binae quotidie cantatae peragebantur missae.

Ad latus meridionale, in sacello Sacratissimi Corporis Christi, cernebatur ara divite auro effulgens, et artifice penicillo Joannis Gladitsch, celeberrimi sui aevi pictoris, Epiphaniam domini ad visum repraesentante, exornata. Bina huc spectant beneficia, quorum primum Ss. Simeonis et Judae, quod confert congregatio eiusdem Augustissimi Corporis Christi, sequentes, quantum nobis constat habuit beneficiatos . . . . .

Aliud quod anno 168 . . Franciscus de Coppini, prothomedicus Labacensis, fundaverat, a moderno beneficiato . . . . . . a Mospach officiatur.

Altare Sanctissimae Trinitatis, quod celeberrima manu Tintoreti, ad pretium singulare pietatemque effulget, olim a . . . . . . fundatum, juris patronatus episcoporum Labacensium, sequentes habuit beneficiatos: . . . . Octavium Bucelleni S. R. J. Comitem, Joannem Antonium Thalnischer de Thalberg et modernum Joannem Antonium Christophorum Comitem a Spaar.

Altare S. Georgii Martyris nullam pictam ostendebat imaginem, sed artifice scalpro factum per duos sinus sibi impositos elevabatur; subtus Praesepe Domini, et supra divum Georgium, equo insidentem, repraesentabat. Fundavit hoc anno 1435. Primus Witschek, civis Labacensis, cuius jus patronatus ad Magistratum civicum spectat et sequentes numerat beneficiatos:

Anno 1435. Jacobus Ibar; 1517. Georgius Slatkoina, factus Praepositus Labacens. et Episcopus Viennensis; 1518. Gregorius Frank; 1551. Andreas Waldhauser; 1552 Felicianus Motschnig; 1560. Joannes Tiffrer; 1568. Joannes Muhitsch; 1590. Joannes Latomus; 1591. Michaël Mikez; 1620. Paulus Vidmayr; 1622. Petrus Ozepich; 1623. Baltasar Wurzer, Canon. Labacens.; 1626. Georgius Planina, Canon. Labacens.; anno 1650. Georgius Popp; 1652. Marcus Dolinar, Praepos. Labacens.; 1657. Joannes Ludovicus Schönleben, Decan. Labacens.; 1681. modernus Antonius Thalnitscher de Thalberg, Decanus Labacensis.

Quintum altare S. Andreae Apostoli, anno 1483. fundatum, collatores agnoscit illustriss. familiam Comitum a Lamberg, cuius beneficiati moderni . . . . sequentes erant antecessores: . . . . . de Coppinis, Octavius Bucelleni, Comes; Joannes Baptista Preschern, Praepositus Lacacen.; Ludovicus Comes Cobenzel.

Sextum altare S. Barbarae V. et M., ad quod beneficium anno 1499. fundarunt L. B. Raubar, ad quos et jus praesentandi spectat. Beneficiatos habuit: . . . . anno 1685. Andreas Daniel, L. B. a Raunach, Canon. et Vic. Gen. Labacensis; 1686. Wolfgang. Bartholomaeus L. B. Valvasor; anno 169 . . Otto Christoph. L. B. Raubar, Canon. Ratisbonensis; ann. 1704. Franciscus Antonius L. B ab Engelshaus.

Altare Omnium Sanctorum, quod in icone sua Praesides primarios urbis Labacensis, opem pro eadem urbe, quae subtus visitur, implorantes, repraesentat. Proventus suos recipit ex Baischaidt S. Petri, quod prope Monspurgum non procul Labaco quaerendum, ad Baculum spectat, unde providetur. Hoc beneficium administrat D. Georgius Wetstain, Canonicus Labacensis.

Octavum altare, Redemptoris mundi, quod pia liberalitate Joannis a Gajanzel, civis Labacensis, olim surrexit, elegantem iconem Redemptoris mundi monstrat, cuius latera divi contra pestem tutelares ss. Rochus et Sebastianus, eâ peritiâ scalpro facti, ut nihil his pretiosius, si artem spectes, repereris, ambiunt.

Beneficiatos numerat sequentes . . . . . .

Nonum altare, S. Mariae Magdalenae, anno 1514. fundatum a . . . . . . , beneficiatos habuit: . . . . . . anno 1690. Fridericum Papler; anno 1699. Georgium Sigismundum a Gablhoffen. Jus praesentandi spectat ad . . . .

Decimum altare S. Crucis . . . . . .

Undecimum altare Virginis in coelis coronatae in choro, ...

Duodecimum altare B. Mariae Virginis, quod, ut initio insinuavimus, in medio templi stetit de cujus fundatione et jure patronatus nihil nobis constat. Hoc altare majoris comoditatis gratia demolitus est Reinaldus Scarlichius, Episcopus Labacensis, anno 1631.

Non ingratum lectori fore arbitramur, si DD. parochorum hujus cathedralis Basilicae, quorum munus est ad administrationem ss. Sacramentorum incumbere, nomina comunicaverimus.

Anno 1248. Ludovicus; 1270. Henricus; 1283. Urbanus Maminger; 1291. Jacobus Schait; 1315. Albertus Oberstayn; 1327. Petrus Brambsek; 1343. Bertholdus; 1357. Marcus; 1383. Joannes Ulricus a Schayr, Canon. Brixinens.; 1416. Urbanus Standler; 1452. Martinus; 1476. Sebastianus Constantin; 1482. Georgius Kisleker; 1522. Andreas Frank; 1543. Leonardus Meterlik; 1555. Petrus Peterlinus; 1572. Franciscus Soband; 1583. Jacobus Eridij; 1612. Casparus Bortogna; 1622. Jacobus Stopper; 1660. Marcus Rossethi L. B., Canon. Labacens.; 1687. Georgius Wetstain, Canon. Labac.

CAPUT VI.

De monumentis et inscriptionibus veteris Basilicae.

De primitiva sancta ecclesia Labacensi nil monumentorum, paucis exceptis, quae in nuperâ demolitione et effosione fundamentorum observavimus et suo loco dedimus, nostram attigit aetatem, quod ingemiscimus! Hinc ne modernae, quam in aliam formam concedere videmus, memoriae a posteris desiderentur, huc in planum deducimus ac solerti manu servatas aeternitati transscribimus. Ordiamur a picturis, oculos dirigendo ad summitatem arcus. Loco omnium conspicuo ostendimus quinque scuta: Summi Pontificis Pii II., qui episcopatum confirmavit; Friderici Imperatoris, fundatoris munificentissimi; Episcopi Labacensis, qui hoc picturis exornari curavit; tum incliti Ducatus Carnioliae, et civitatis Labacensis. Libet illa huc subiungere. (Vide fig. 2. in ap.) — In arcu navis medium occupat locum crux, quam quatuor angeli stipant; horum duo sequentem gestant inscriptionem:

HOC SIGNUM ERIT IN COELO,

parte altera reliqui duo hanc exhibent paripsodiam:

CUM DOMINUS AD JUDICANDUM VENERIT.

Quod reliquum est arcus cancellatis veterum more ornatur picturis, insignibus benefactorum interpositis; ita nobiliss. familiae L. B. a Mascon. De hac gente, cuius in clipeis duo leones facem ardentem gestant, sequentia notavimus iis inscripta nomina: Innocentius Mascon, Adam Mascon, Alexander Mascon, M. Antonius Mascon.

Non procul inde inter fornices legimus tres sequentes inscriptiones:

1.

SI QUIS SALVARI VULT, PERPETUOQUE BEARI,
CHRISTO DEVOTUM, STUDEAT SE TRADERE TOTUM.

2.

FLE, SI SOLARI, ESURI, SI SATURARI,
DA, SI DITARI, SERVI, SI DOMINARI.

3.

TEMPUS ET HORA RUENS TRANSIT, MORS OSTIA PULSAT,
TEMPORIS ESTO MEMOR, VIVAS, UT VIVERE POSSIS,

E regione portae lateralis majoris ingens conspicitur figura, S. Nicolaum cathedralis Basilicae Patronum tutelarem, eiusque vitam, gesta, miracula et obitum exhibens, cum inscriptione:

VERA S. NICOLAI MAGNI ARCHIEPISCOPI
MYRENSIS EFFIGIES, E BARRIANA
APPVLIAE ECCLESIA DESUMPTA.

Curavit hanc efformari magnus ille Labacensium Pontifex Thomas Crön, ut ex subscriptione patebit, quam mox dabimus; (quidquid enim decoris et rarae, nec non pretiosae sacrae supellectilis obtinuit ecclesia, huic insigni Praesuli debet). Libet hanc oculis lectoris subjicere (in ap. sub fig. 3.).

Subtus hanc imaginem sequentem reperimus inscriptionem:

OMNIPOTENTI ET IMENSAE TRIADI,
IESU CHRISTO, MARIAE VIRGINI, ET S. NICOLAO,
EPISCOPO CONFESSORI, CUMPRIMIS SACRVM.
PORRO AVGUSTISSIMIS FVNDATORIBVS;
FRIDERICO TERTIO ROMANORUM IMPERATORI,
AC LEONORAE VXORI, PORTUGALIAE REGINAE,
CVNCTISQVE GLORIOSISSIMIS AVSTRIACIS
REGIBVS, ARCHIDVCIBVS, ET PRINCIPIBVS
AETERNA MEMORIA DIGNIS.
THOMAS CROEN IX. EPVS. LABAC.
SACRATISSIMI ROMANORVM IMPERATORIS FERD. II.
HVNGARIAE ET BOHEMIAE REGIS CONSILIARIVS,
INTIMI EXCELSI REGIMINIS LOCVMTENENS.
HONORIS, OBSEQVII, ET GRATITVDINIS
ERGO D. D. ANNO M. DC. XX.

Caeteras modo, quae ipsam iconem ambiunt, vitam, miracula et obitum repraesentantes inscriptiones videamus:

1.

EXTRAXIT VIX VENTRE PEDEM, PEDE COSTITIT UNDIS,
DIRA TIBI INDICAT TARTARE BELLA, CAVE.

2.

EXSUGIT CUM LACTE PIOS PUERITIAE MORES,
HAERET ET IN TENERO PECTORE RELIGIO.

3.

TERGEMINAM GENITOR PARAT AURO VENDERE NATAM
DOTEM TE NUPSIT SED JACIENTE VIRO.

4.

VISURUS CHRISTI TUMULUM PEREGRINUS IDUMEN
APPULIT, ANGELICA TEMPLA PATENTQUE MANU.

5.

COELITUS ELIGERIS PRAESUL, MYRAERE, TIBIQUE
CRESCIT HONOS ET ONUS, TE SED UTRUMQUE MINUS.

6.

CARCERIS OB CHRISTI NOMEN FERA VINCULA PASSUS,
AFFLICTO TANDEM REDDITUR ILLE GREGI.

7.

IRRIDET SANCTUM REX IMPIUS, ILLE NEFANDO
REGI ADIMIT PUERUM, RESTITUITQUE PATRI.

8.

TE CAECUS MANDANTE VIDET, CLAUDUSQUE REPENTE
AMBULAT, OBSESSUS DAEMONE LIBER ABIT.

9.

IT COELO PELAGUS VENTIS IMPELENTE PROCELLIS,
NICOLEON PUPIS, DUM VOCAT ERIPITUR.

10.

DUM VAESANA FAMES LYCEOS GRASSATUR IN AGROS
EN CERES OFFICIO PLURIMA VECTA TUO EST.

11.

COR TYNORUM PUEROS IN FRUSTA RESECAT (HOSTIS)
RES CREDO NULLIS COGNITA TEMPORIBUS.

12.

CONSTANTINUM HORRET IN SOMNIS FRONTE MINACI,
UT LEPRA INSONTES ERIPIANTUR AGIT.

13.

OB COLAPHUM HAERETICO IMPOSITUM DECORA TYARA
DEMPTA TIBI, A PATRIBUS COELICA VIRGO REFERT.

14.

COELITUUM MORIENTI ANIMAE AFFULSERE PHALANGES,
FELIX ANTE OBITUM, CUI PATET VITA, DECUS.

15.

VIVUS ADHUC TUMULO CLAUSUS LIQUOR EFFLUIT UNDIS,
IN MISEROS PIETAS INDITA VIVIT ADHUC.

Parte altera celebris exstitit inscriptio, cum effigie omnium fundatorum et insignium benefactorum, hujus tenoris ut sequitur:

AD DEI ET D. N. IESV CHRISTI,
EIVSQVE MAGNAE MATRIS INTEMERATAE VIRGINIS,
S. NICOLAI EPISCOPI ET CONFESSORIS,
TOTIVSQVE CVRIAE COELESTIS GLORIAM,
AC REIPVBLICAE CRISTIANAE VTILITATEM.
ANNO DOMINI CIↃ, CD, LXI.
FRIDERICVS III. ROM. IMP., CUM LEONORA
PORTVGALIAE REGINA AVGVSTA,
EPISCOPATVM HVNC LABACENSEM RESTITVIT,
AC NOVIVER LIBERALISSIME FVNDAVIT.
MAXIMILIANVS I FILIVS PIE ADAVXIT.
FERDINANDVS PRONEPOS PERPETVVM PRINCIPIS TITULO ILLVSTRAVIT.
PORRO PIVS II. PONTIFEX MAXIMVS,
ANTEA AENEAS SILVIVS, PAROCHVS SLAVIGRAECENSIS,
EIVSDEM FRIDERICI IMPERATORIS SECRETARIVS ET CONSILIARIVS,
EO ADHVC VIVENTE ET REGNANTE,
AD SVMMVM PROVECTVS PONTIFICATVM,
AB OMNI IMMEDIATA POTESTATE, AC SVPERIORITATE
INCLYTI PATRIARCHATVS AQVILEIENSIS
PRORSVS EXEMIT, AC IN PERPETVVM RESERAVIT.
DEINDE PAVLVS PAPA II.
CVM SVIS IN SACRA SEDE APOSTOLICA SVCCESSORIBVS
PRIVILEGIA EXEMPTIONIS, AC LIBERTATIS HVIVSMODI
RATA HABVIT, CONFIRMAVITQVE FOELICITER.

Arcuatus paries, ut supra meminimus, sectili lapide, laevigatis segmentis foliatoque ornatu, insertis rosis inauratis, decoratur. In choro musices e lapide nobili artificio elaborato eleganti penicillo adumbratam cernimus Virginem ab Angelo salutatam. Latera occupant quatuor figurae bis longe protoparentum nostrorum Adami et Evae creationem, vitam, lapsum, et ob id iis inflictam poenam repraesentantes. Sumptibus id factum censemus ob adjectum nomen Ulrici Haas anno 1521.

Thomas Crön, animi magnitudine pluribus par episcopis, caeteros parietes sacris figuris, quas singulatim prosequemur, exornari curavit, ut patet ex inscriptione tertia, quae extat supra altare s. Andreae Apostoli, beneficii illustrissimae familiae Comitum a Lamberg, loco eminentiori omnium oculis exposito. Ipsa autem inscriptio sic sonat:

AD MAIOREM DEI GLORIAM,
B. V. MARIAE ET S. NICOLAI ARCHIEP. MYRENSIS HONOREM.
THOMAS CROEN, IX. EP. LABAC.
FERD. II. CONSILIARIVS, ET PER CARNIOLIAM VNIVERSAM,
COMITATVM GORITIAE, ET INFERIOREM STYRIAM
AD DRAVM VSQVE FLVVIVM REFORMATOR.
F. C. AN. CIↃ. D. XC. VII.

PLURIMA, QUAE GESSIT, FIDELITER ILLE PEREGIT
MUNIA, QUEM DEFLET MUSICA TURBA PATREM.

Antequam ab hoc loco discedamus, meminisci confert famosae et gloriosae illius tabulae, qua eleganti et artificioso penicillo ad vivum repraesentatur

CARNIOLIAE VICTORIA,

Ab Haasan Bascha gloriosissime reportata 22. Junii, anno M. D. XC. III. invictissimis belli ducibus: Auerspergio, Eggenbergio et Raubero.

Subscriptio autem sic sonat:

TURCICA SIGNA STUPES, TURMASQUE IN BELLO PARATAS,
BARBARA CARNIOLAE MINITANTES FUNERA TERRAE?
PRAESIDII FIAS ETIAM SPECTATOR, AB ASTRIS
QUOD TULIT IN SAEVOS ORATUS ACHATIUS HOSTES.
SACRILEGUS CHRISTI DESERTIS TRANSFUGA CASTRIS,
UT MAHOMETANAE SUSCEPIT DOGMATA SECTAE
TURCISQUE INGENITUM BIBIT HASSAN BASSA FUROREM,
CONTRA CHRISTICOLAS COEPIT NON IMPIGER OMNES
CONTINUO MAVORTIS OPUS, VICTORE SUPERBUS
MILITE SAEPE SUO, MEDITATUR, ET AGMINA COGIT
BOSNIACISQE REPLET PER SISSECK ARVA MANIPLIS.
LUX ADERAT FUNESTA TIBI, NI SOCII ARMA TULISSENT;
NAM BAPISTA ET ACHATIUS, IN FERO BELLO VOCATI,
CUMMUNI VOTO CLYPEOS ET TELA MINISTRANT.
AUERSPERGUM ATQUE EGGENPERGUM, DUO FULMINA BELLI,
HISQUE PAREM RAUBER, SOCIOS PATIUNTUR HONORIS.
BASSA, LOCO CULPAE DERISAE, COEPIT IN UNDIS
EXITIUM CULPAE. HAEC QUICUNQUE TROPHAEA TUERIS,
CHRISTO GRATUS ADES, FAUSTUS PATRIAEQUE PRECATOR.

Ad reliquas modo picturas properemus. Sub choro prima repraesentat primum miraculum a Salvatore nostro Jesu Christo in nuptiis Cananeis Galileae, (quibus una cum beatiss. Matre adfuit) perpetratum, dum aquam converteret in vinum. Subest huic aliqua inscriptio, sed illegibilis et attrita. Secunda huic proxima exhibet septem opera misericordiae corporalia.

Tertia vero octo beatitudines evangelicas, omnes per vias suas tendentes ad beatam sedem coelorum.

Parte altera sub scalis chori jacet magnus ille rerum humanarum contemptor s. Alexius, qui prima nocte nuptiarum Edessam fugit et inter mendicabula latuit. Proditus Romam rediit et in paterna domo ignotus tamquam mendicus delituit usque ad mortem — egregium humilitatis exemplum. Juxta hanc effigiem cernitur templum aliquod absque ulla inscriptione, quod fertur hic exstitisse, antequam haec, quae disruitur, steterit. Huc id subnectimus. (Fig. 5. in ap.)

In choro musices ex sectili lapide veterum more eleganter concinato in medio visitur Salutatio angelica; parte una misteria Incarnationis, parte altera Adami et Evae protoplastorum creatio, lapsus et ardua vita extra paradisum.

Visis picturis parietum sacrae basilicae Labacensis, ad caetera monumenta transeamus, ex quibus omnium primo se offert depositum Sigismundi, ex illustrissima familia Comitum a Lamberg, primi episcopi Labacensis, restituti episcopatus, (non enim loquor de primitiva sancta ecclesia Labacensi, seu Aemonensi, in qua omnium primo sedit s. Maximus, ut constat ex Annalibus Schönlebii, Valvasorii

seu Erasmi Francisci, sed de moderna augusta munificentia Friderici III. Rom. Imperatoris renovata, et pristina sede restituta), praesulis inquam illius christianorum virtutum splendore clarissimi, cuius illustria gesta pluribus pro dignitate tanti viri prosequi hic locus non vacat. Sufficiat hoc dicere, quod in fama sanctitatis, ut continuata et quasi per manus accepta majorum traditione et fide ad nos pervenit, obierit 18. Junii anno 1488., quod id ipsum eius sacrum corpus, recentibus annis, dum haec scribimus, anno videlicet 1674., dum chorus sanctae basilicae Labacensis repareretur, incorruptum, una cum velo ejusdem Sancti candido et quasi recenter texto, repertum, ingenti miraculo comprobavit.

Inscriptionem tumuli modo videamus, pro tanta dignitate praesulis minime correspondentem, humilem, et rudi illo saeculo exaratam, quae sic sonat:

VENERANDVS PONTIFEX
DOM. SIGISMVNDVS A LAMBERG,
PRIMUS EPISCOPVS LABACENSIS,
ANN. XXIV PRAEFVIT.
ANNO DOM. CIↃ. CCCC. L. XXX. VIII., XVIII. JVNII
OBIIT.

Hoc itaque thesauro felix et fortunata civitas gloriatur. Exstat pariter Oberburgii in choro sub statua eiusdem monumentum a magno illo Labacensium antistite Thoma, magnanimitate, prudentia et pietate incomparabili, eidem positum, quod sic sonat:

„Reverendissimo in Christo Patri Domino Sigismundo, Lambergia illustri familia orto, Primo s. Sedis Episcopalis Labacensis Antistiti, a Friderico Tertio Rom. Imp. et Pio II. Pontifice Maximo gloriosissimis fundatoribus ad eam ob merita sua inclyta, Deo vocante subvecto. Anno Xti. 1461. Thomas Epus. nonus eius successor, Ferdinandi secundi Rom. Imp. Consiliarius in excelso Interioris Austriae, Regimine locumtenens, ac pro sancta Religione catholica Reformator. Anno sanctissimi Jubilaei 1625 huius saeculi primo posuit.“

Sub sacello omnium Sanctorum in cuius crypta, pavimentum sectili marmore stratum, reconditur insignis supradictus praesul Thomas, IX. episcopus Labacensis, Carnioliae amor et delicium, qui summo cum planctu obiit Labaci 10. Februarii 1630. Epitaphium vero sic sonat:

HAC IN TVMBA
REQVIESCO POST LABORES THOMAS CROEN,
EPISCOPUS LABAC. S. C. M. CONSILIARIVS,
AC REDEMPTOREM MEVM HIC EXPECTO,
CARNIS RESVRECTIONEM,
ET VITAM VENTVRI SAECVLI. AMEN.
ANNO. M. DC. IX.

Hoc sibi vivus composuit humili pena, cum summum meruisset elogium. Omnia quasi monumenta, quae Oberburgii exstant antistitum Labacensium, ille propriis sumptibus confici curavit, licet alibi ii conditi sint, ut Balthasaro Radlitio, Labaci vita functo, et Joanni Tautscher Graecii condito.

In hac pariter crypta eiusdem successor Reinaldus Scarlichius X. episcopus Labacensis requiescit.

Videamus modo quae picturae in capellis reperiantur, quarum omnium primo se offert sacellum archiconfraternitatis Corporis Christi, quod amplitudine et decore caetera facile superat. Hoc totum variis figuris exornatur. In summitate arcus cernuntur quinque insignia, quae huc subneximus. (Vide fig. 4. in ap.) Tempus haec indicant, sub quorum regimine hoc factum, videlicet sedente in cathedra Petri beatissimo Pontifice Urbano VIII., ex nobilissima familia Barborina; a dextris cernitur insigne Romani imperii, et augustissimae domus Habspurg-Austriacae; a sinistris episcopatus Labacensis et episcopi Rainaldi.

In fornice supra altare ss. trium Regum cernitur Pater aeternus benedicens, sex figuris ad augendum debitum cultum Eucharistiae comparatis, stipatus, quarum prima a dextris exprimit status ecclesiastici et saecularis primates flexis genibus Venerabile adorantes. Secunda exhibet historiam illam nunquam satis depraedicabilem, Rudolphi I. Imperatoris, de augustissima domo Habsburgo-Austriacâ, Venerabile, impertito sacerdoti proprio equo, pedibus comitantis. Tertia repraesentat s. Stanislaum Kostka, e S. J., s. Barbarae morientium patronae devotum, ab angelis in morbo Venerabili Sacramento refectum. Quarta a sinistris exprimit Moysem et Aaronem, sacrificantes Deo. Quinta figura refert mirâ arte expressum affectum s. Catharinae Senensis erga Venerabile Sacramentum, quod summa cum devotione a sacerdote suscipit. In sexta et ultimâ observavimus s. Antonium Paduanum coram flectente asino, Paduae ss. Sacramentum processionaliter deferentem.

E regione altaris extat coena Domini, eleganti penicillo expressa, quâ Venerabile Sacramentum fuit institutum. Inter arcuatos parietes et fenestrarum areolas tandem conspicimus duodecim Domini Apostolos.

His adnotatis ad ulteriora properemus, et quas figuras caetera sacella gerant, perscrutemur.

Sacellum omnium Sanctorum ingredimur. In huius summitate arcus se offert Nativitas Domini nostri Jesu Christi cum inscriptione: „Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis". In arcu conspicimus generationem D. N. Jesu Christi ex tribu David et Jesse cum Regum et Prophetarum icone.

E regione altaris, cuius imago omnium Sanctorum coetum exhibet, praesertim vero patronos urbis Labacensis s. Georgium, s. Florianum et alios, qui ipsi urbi incumbunt propitiatores, visitur tabula magna, quae repraesentat desponsationem a Deo Patre aeterno Christi cum Ecclesia, cui assistunt Loquella Dei, Antiquitas et Successio cum sequenti inscriptione:

DEUS PATER SPONSVM DEVM ECCE FILIVM
DAT SPONSAE IESVM ECCLESIAE,
DEI LOQVELA (HAEC NEMPE CONTRA ECCLESIAM
NON PRAEVALEBVNT INFERVM
PORTAE), DEI PROLATA AB ORE FILII,
DOS SEMPITERNA ECCLESIAE EST.
ECCLESIAM, QVAE DIGNA VERO HOC NOMINE
TERNAE NOTANT PEDISSEQVAE
ANTIQVITAS, ET VNIVERSITAS, ET AB
APOSTOLORVM PRINCIPE
HVCVSQVE, QVAE NON DESIIT NEQVE DESINET
IN POSTERVM, SVCCESSIO;

HAEC SPONSA IESV SPONSA XTI. ECCLESIA
SPONSO SVO INNVMERABILI
FOECVNDA PROLE, INVICTA CORDE MARTYRES
AVT CANDIDATOS MARTYRII
HOS VIRGINES, HOS CONTINENTES CONIVGII
HOS PER TRECENTA DUO, AC DECEM
BIS LVSTRA GENVIT, GIGNET ET NOVISSIMA
AD VSQVE MVNDI TEMPORA.

In altari vero, seu supradicta imagine supra Labacum urbem leguntur sequentes votivae preces:

MURO TUO INEXPUGNABILI CIRCUMCINGE CIVITATEM ISTAM DOMINE,
ET MURIS TUAE POTENTIAE PROTEGE EAM SEMPER,
ET LIBERA DOMINE DEUS POPULUM VENIENTEM AD TE,
ET ERUE EAM IN MIRABILIBUS TUIS,
ET DA GLORIAM NOMINI TUO.

Videamus modo sacellum ss. Trinitatis. In arcu medium locum occupat s. Veronica, gestans velum cum effigie vultus D. N. Jesu Christi; latus ejus utrinque stipant angeli, passionem Domini bajulantes. E regione altaris tabella altitudine capellam adaequans repraesentat Coenam Domini.

Sacellum s. Georgii Mart. tutelaris patroni urbis Labacensis. Altare nil picti, sed omnes figuras sculptas exhibet fabrefactas. In summitate arcus visitur s. Paulus ex Saulo conversus, ex persecutore factus vas electionis, quod portaret nomen Jesu coram gentibus. In circumferentia arcus interioris extant effigies mediae staturae 14 sanctorum patronorum auxiliatorum, vulgo 14 Nothhelfer. E regione altaris tabella magna picta s. Georgii martyrium et vitam repraesentat. In pariete parte una conspicitur Goliat, altitudinis sex cubitorum et palmi, loricatus, ut in sacris litteris describitur; parte altera David, qui funda sua jecit lapidem adversus Philistheum.

Ad sacellum Redemptoris mundi devenimus, in cujus summo loco fratricidium Caini et Abelis conspicimus, in arcu interiori quatuor Evangelistas, et tandem in tabula e regione altaris institutum et nomina sodalium et fundatorum egregiae confraternitatis, a mercatoribus Italis institutae sub titulo Redemptoris mundi, de qua fusius suo loco.

In pariete portam lateralem versus, parte una dictae portae Epulonis divitis, lautae mensae incumbentis, imaginem; parte altera Christum mensae adsidentem, cum ferculis passionis suae impletis, cui ministrant angeli, intuemur, cum sequenti inscriptione:

QUISQUIS IN APPOSITA DEFIGIS IMAGINE VULTUM,
HUC IN JEIUNAS, LUMINA VERTE DAPES,
HAE MENTEM PASCUNT, VENTREM ILLAE, DILIGE QUOD VIS!
SED CAVE, QUIS SIT FINIS, UTRUMQUE VIDE.

Non procul inde cernimus monumentum Michaelis Valler, Canonici Labacensis, qui obiit . . . . anno 15 . . cum inscriptione:

MOLE SUB HAC MICHAEL FATO COGENTE QUIESCIT,
IPSE SUO VALLER NOMINE DICTUS AUO.
CARNUS ERAT PATRIA, SACRAEQUE CANONICUS AEDIS
HUIUS, ET EXEMPLUM QUI PROBITATIS ERAT.

Ad summum altare exstat depositum celsissimi ac reverendissimi principis Josephi, ex illustrissima familia comitum de Rabatta, ord. Hierosolymitani eques, Comend. in Grostniz et . . . . quondam archid. Caroli Josephi supremus Aulae praefectus et haeres, cum sequenti inscriptione:

DOMVS
OMNI VIVENTI CONSTITVTA.
IOSEPHVS RABATTA,
HVIVS CATH. ECCLESIAE XII. ANTISTES,
FVIT VOBISCVM,
OBIIT XX. VIII. FEBRVARII,
An. 1683.,
VOS HIC EXPECTAT.

Multa praeterea illustrissimarum stirpium, toga sagaque ante principes spectatorum, deposita et heroum tumuli; plurima vero ex his excellentissimae familiae comitum a Lamberg, quae illustrissima familia virtute et scientia universo orbi inclaruit, cum per summa quaeque reipublicae decora ad usque sac. Rom. imperii principatum, et praecipuas Germaniae infulas, imo purpuras, est eluctata. Ad partem sacristiae exstat statua marmorea cum sequenti inscriptione:

EPITAPHIUM ILLUSTRI VIRO DOMINO JACOBO
A LAMBERG, BARONI IN STAIN ET GUETENBERG,
HAEREDITARIO DUCATUS CARNIAE HIPPARCHO
CAESAREAE MAIESTATIS ET ARCHIDUCI CAROLO etc.
A CONSILIIS, ET EIUSDEM CARNIAE PRAESIDI
VIVENTI SCRIPTUM EST.

SPLENDIDA JACOBUS LAMBERGAE GLORIA GENTIS,
CLARUS, ET ILLUSTRI NOBILITATE BARO,
CUIUS AVI AUSTRIACUM DOMUI VIXERE, PROBATI
DEXTRA, ET LAUDATA SAECULA MULTA FIDE
AMPLUS HONOS GENERIS, GENEROSIS AMPLIOR FACTIS,
LAMBERGAE HEROAS STIRPIS AD ASTRA VEHIT.
CARNORUM HINC FACTUS PRAESES, QUI NOBILE CHARO
HAEREDI HIPPARCHI NOMEN HABERE DEDIT.
CUIUS NOTA FUIT VIRTUS IN EQUESTRIBUS ARMIS
DUM TULIT IN SAEVOS ARMA ANIMOSA GETAS:
CUIUS CAESARIBUS PRUDENTIA CHARA DUOBUS,
ET FERDINANDE TIBI, ET MAXIMILIANE FUIT
CONSILIO QUOS SAEPE SUO, AC TE CAROLE JUVIT,
IN CARNOS CUI SUA SCEPTRA RELICTA PATRIS
ILLE INQUAM FACTIS PRAECLARIS PLENUS ET ANNIS
CLAUSIT IN EXTREMO FACTA BENIGNA DIE.
OBIIT XV. DECEMBRIS, ANNO DOM. M. D. LX. VI.
AETAT. SUAE LIX.

Non procul inde exstat tumulus dictae illustrissimae familiae cum sequenti inscriptione:

IOANNES GEORGIUS S. R. I. COMES A LAMBERG
LIB. BARO IN STAIN, ET GUETTENBERG.
SUPREM. HAEREDIT. PRAEFECTUS EQUIL.
IN CARNIOLIA ET MARCH. VINDORUM.

SIGISM, EPISCOPO LABAC.
JOSEPHO SUPREMO CARNIOLIAE CAPIT. AUO SUO, HUC ILLATIS,
SIBI, PROLIBUS, AC POSTERIS FAMILIAE TOTIUS
MONUMENTUM HOC VIVUS POSUIT.
ANNO M. DC. LXX. VI.

Exstant adhuc duo monumenta, unum Caspari a Lamberg in Saunstain, qui obiit ipso die s. Pancratii anno Domini M. CCCC. LXXXI.; secundum Equitis Georgii a Lamberg, cum integra statura in marmore sculpta. Diem et annum, extritum tempore, vetustas invidet.

Supra tumulum illustrissimae familiae Ursinorum, comitum a Blagei, exstat haec inscriptio:

EBERHARDO LEOPOLDO VRSINO, COMITI DE BLAGAY,
EX NOBILLISSIMA ROMANORUM VRSINORUM FAMILIA,
CUIUS MAIORES CIRCA ANNUM
M. C. LX. IN SLAUONIA CONSEDERUNT,
COMITATU BLAGAY PER TURCAS EXUTI
SUPERIORI SAECULO IN CARNIOLIAM MIGRARUNT,
SAC. CAES. MAJESTATIS CONSILIARIO, ET CAMERARIO,
PRAETORI PROVIN. DEIN VICEDOM. DEMUM VICECAPITANEO.
OBIIT ANNO M. DC. LXXX.
DIE XXX. MARTII.
FRANCISCUS ADAMUS VRSINUS, COMES DE BLAGAY,
S. C. M. CONS. CAMER. ET VICEDOMINUS IN CARNIOLIA.
MONUMENTUM HOC FIERI PATRI PIISIMO,
SIBI ET POSTERIS FECIT.

In medio navis ecclesiae cathedralis conspicitur sequens epitaphium ex illustrissima familia Comitum Barbo:

HIC IACET
NOBILISSIMUS, VERE HEROICI CORPORIS ET ANIMI IUVENIS
VALERIUS BARBUS DE WAXENSTAIN,
MT. EX ANTIQUISSIMA ROMANA BARBORUM FAMILIA ORTUS,
QUI OLIM ROMAE VOLATERANO TESTE FLORUIT,
POTENTISSIMUMQUE ILLUD IMPERIUM,
UNA CUM ALIIS VOBIS,
ILLIUS PROCERIBUS, REXIT.
OBIIT LABACI ANNO DOMINI M. D. LXX.
AETAT. ET ROBORIS SUI FLORENTISSIMO XXX.
OB SINGULAREM MODESTIAM NON PARABILIS,
AB OMNIBUS HOMINIBUS AMATUS.

Sunt praeterea multi illustrissimorum heroum tumuli: Equitis Sigismundi a Sebriach; Capitanei inclyti Duc. Carnioliae, Ursulae a Serau, conjugis eius; Georgii Ainkern, capitaneatus locumtenentis; Nicolai et Cosmi Raubar, Vicecapitanei; Hanibalis a Wernegk; Erasmi a Scheyern, equitis, cum integra eiusdem statura marmori insculpta; et Annae L. B. a Trautson.

CANONICORUM LABACENSIUM.

Nemo existimet nobis in praesenti opere consilium fuisse omnium D. D. canonicorum in hac sancta Labacensi ecclesia tumulatorum nomina complecti, sed paucorum aliquot tantum, quorum in marmoribus exstat memoria, ut sequitur:

ADMODUM REVERENDUS, AC DOCTISS. DOMINUS
ADAMUS SONTNER, CANONICUS,
ET ECCLS. ORDINARIUS CATHEDRALIS ECCLESIAE LABACENSIS.
SS. SEDIS APOSTOLICAE PROTHONOTARIUS PUBLICUS,
NEC NON REVERENDISSIMI, AC ILLUSTRISSIMI PRINCIPIS
AC DOMINI D. THOMAE, DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA
EPISCOPI LABACENSIS VICARIUS GENERALIS,
IN SUI, SUORUMQUE MEMORIAM, EPITAPHIUM HOC
VIVENS POSUIT, ANNO DOMINI. M. DC. XI.
· AET. SUAE XXX. PIE AUTEM IN DOMINO
OBDORMIVIT DIE 23. NOVEMBRIS ANNO A NATO
XTO. M. DC. XLI. EIUS VERO XL. IV.
CUI VIVAT. FIAT.

Secundum huic proximum locum occupat monumentum e nigro marmore eiusdem integram figuram fingens, cum sequenti inscriptione:

ADMODUM RDUS. DOMINUS IACOBUS STOPER,
STYRUS PRASPERGENSIS, AETAT. SUAE LIII. SAC. SEDIS
APOSTOLICAE PROTHONOTARIUS, SACRAE CAESAREAE
MAIESTATIS CONSILIARIUS, CANONICUS,
ET PAROCHUS LABACENSIS.
AD DEI GLORIAM, ET SUI MEMORIAM POSUIT,
VITA FUNCTUS DIE 14. AVG, 1660.

LECTOR ERAM QUONDAM VARIO CELEBRATUS HONORE
PRAETERIERE! ET EGO. SINGULA PRAETEREUNT,
OMNIA SUB COELO CUM SINT PRAETEREUNTIA, LECTOR.
SPIRITUS, UT VIVAT, DIC MIHI, DIC REQUIEM.

huic paulo infra subiunctum est:

QUAE TIBI SUCCESSOR FUNDARIM MILLIA . . .
HORUM LEGATUM, QUAERE, SENATUS HABET.
OMNE PER OCTIDUUM PRO ME BENEDICITO MISTA
MISSAM, NI FACIAS, NE DEUS ULTOR ERIT.

In sacello Corporis Christi in pariete exstabat monumentum cum effigie dimidiatae staturae ac inscriptione sequentis tenoris:

D. O. M.
HIC RECUBAT MATHIAS WALICH,
CANONICUS CATHEDRALIS ECCLESIAE LABAC.
POSTQUAM LEGEM XIII. FEB. IMPLEVIT.
ORTA MORIANTUR.
TU VIATOR VALE, BENE PRECARE,
ET ABI MEMOR LEGIS.
AN. M. D. XL. VII.

In sacello Redemptoris mundi conspicitur sequens epitaphium:

D. O. M. S. D.
REVERENDI AC DOCTISS. VIRI, DOMINI GEORGII LATOMI,
CANONICI ECCLESIASTIS
ET PIAE MEMORIAE RDISSIMORUM PETRI
ET CONRADI EPISCOPORUM ECCLESIAE CATHERALIS
LABAC. VICARII GENERALIS EPITAPHIUM.
QUI 30 Xbris. An. 1572. OBDORMIVIT IN DOMINO,
CUI VIVAT, AETATIS SUAE L. VIII.
DAI BUG SCHREZO.

Jacent praeter adductos plurimi insignes praelati et virtutibus conspicui canonici, sed absque memoria in crypta communi, quod dolendum! Memorias etenim laudabili esse posteritati incitamento ad res preaclare gerendas, nemo est qui ambiget. Opitulatur nostrae sententiae Tacitus 4. Anal. „Unum insatiabiliter parandum, prosperam sui memoriam; nam contempta fama, contemni virtutes."

Ante scalas chori musices exstat hoc epitaphium, quod subjungimus:

SISTE GRADUM
PIE VIATOR
TAMETSI PROPERAS, HOC TE SAXUM ROGAT,
UT ASPICIAS
HIC
JOANNES MOCHATTI
CELSISSIMI ET REVERENDISS. PRINCIPIS OTTONIS
FRIDERICI COMITIS A BUECHAIM, EPISCOPI
LABACENSIS, AULAE PRAEFECTI QUONDAM
OSSA QUIESCUNT.
HOC VOLEBAM NESCIUS NE ESSES
ORA PRO EO PATER ET AVE
ET DIC
MISEREATUR EI DEUS.
MORTUUS EST ANNO M. DC. LIII.
DIE XXV. SEPTEMBRIS.
CUIUS ANIMA DEO VIVAT,
VIVE MEMOR MORTIS.

Sunt et sequentia ibidem monumenta cum inscriptione idiomate germanico; cum vero solum latina hic annotare libuerit, solum eorum nomina producimus. Duo videlicet separata epitaphia, unum Wolfgangi Poschi, consulis Labac., qui 15. Octobris, anno 1536, — alterum Apoloniae, eiusdem conjungis, quae 5. Novembris dicti anni 1536 obiit. Joannis Udalrici Haas, anno 1524., et tandem Joannis Udalrici de et a Koberg in Raigersdorff, qui obiit 1. Septembris 1658.

Horum et caeterum manibus nos animitus beatorum sedem apprecamur. Amen.

CAPUT VII.

De partibus exterioribus, turri, atrio et iconibus.

Expositis partibus interioribus cathedralis Basilicae, exteriores sunt eiusdem annotandae partes. Ordiamur eas a turri campanaria, et quidem ab illa turri cathedralis Ecclesiae veteris, non vero illius quae immediata hanc antecessit, de qua alio loco, neque quae hanc successit, cuius entis adhuc nullae sunt qualitates. Quando itaque haec turris excitata fuerit, nobis modo incompertum; quod vero ter una cum templo conflagraverit, et quidem primo in festo s. Joannis Baptistae, anno 1361., casu exorto incendio in aula Vicedominatus. Secundo die 27. mensis Junii anno 1386., in suburbio, in domo eiusdam Fridelini cognominato, excitato et eo propagato incendio. Tertio anno 1469. ab inimico flamma immissa, irruptione immanium Turcarum facta, ut constat ex codice archivii episcopalis et civit. Labacens.; ultimo tandem, ut perhibent Annales Valvasorii, anno 1613. reparata fuit, ad quam reparationem civitas quingentos contribuit florenos. Medietas eius inferna quadrangularem, et superna octangularem formam obtinuit. Altitudinis est usque ad summitatem globi pedum 164. Scalas numeravit seu gradus usque ad tectum 90. Duplicia ei sunt horologia, solare unum, aliud rotatile, in quatuor mundi plagas horas nostro germano more ostentans. Quatuor numerat campanas (non computando minimam, quae missas non solemnes mox celebraturas nunciat) quae his nominibus: „parva“, „quadrantilis“, „media“ et „magna“ ab aedituo distinguuntur. Jam non ingratum lectori fore judico, si, quando et quamdiu his pulsatur, exactius indicavero.

Mane itaquae, ut cum orto die incipiamus, hora sexta, campana media per quadrantem horae pulsatur ad primam missam die feriali; festivali vero hora septima maxima uno integro quadrante et altero parva indicitur ad chorum. Finita concione media campana datur signum, et omni missa cantata et solemni ad quodlibet Evangelium et Elevationem campana quadrantili datur pariter signum. Pulsata hora duodecima majori datur signum meridiei. Hora tertia pomeridiana integro pulsu omnium campanarum, hoc est ordiendo a minima separatim, tum conjunctim indicitur ad Vesperas. Mane summo et vesperi ad crepusculum, christianorum more, magna et tandem minima pulsatur „Ave Maria“ et pro defunctis. Diebus jejunalibus et quadragesimali tempore una hora tardius annunciatur chorus. Die Jovis sancto pulsatur ad matutinum, et ad Gloria solemnis missae, omnibus per quadrantem horae, dein ligantur nec solvuntur, nisi die Sabatho ad Alleluia solemnis missae.

Notandum, quod usquedum in cathedrali Ecclesia campanae non solvantur et pulsentur, omnes caeterae in urbe ob respectum superioritatis silere debeant et sic in omnibus caeteris majoribus functionibus, ubi in omnibus ecclesiis una sonari solet.

Die festo Omnium Sanctorum ad vesperum pro fidelibus defunctis et sequenti die mane hora octava ad officium pro defunctis ad quemlibet psalmum omnibus pulsatur.

Jubilaeum universale, quod durat duobus mensibus, pulsatur prima et ultima septimana ter de die, mane, ad meridiem et vesperi omnibus; in minoribus, quae 14 diebus durant, tantum semel vesperi ad crepusculum integra hora quotidie.

Canonizationis solemnitas, quae per octiduum durare solet, pariter pulsatur vesperi post „Ave Maria“ quotidie hic et in omnibus ecclesiis.

Synodus provincialis media septima matutina ter omnibus campanis pulsatis indicitur. In eductione episcopi omnibus pariter datur signum, quod durat donec perveniat ad destinatum locum. Post prandium hora prima pulsatur magna campana per mediam horam ad solitum examen in aula episcopali.

In adventu terrae principis ad homagium suscipiendum, quamprimum e longe conspicitur, pulsatur hic omnibus et in reliquis omnibus ecclesiis, et durat usque dum ingrediatur Basilicam cathedralem Deo gratias acturus. In electione et creatione terrae principis aut summi pontificis, nec non in illorum obitu triduo vesperi post „Ave Maria“ omnibus integra pulsatur hora.

Die festo s. Jacobi, seu electione judicis civit., hora sexta solito pulsatur ad missam ad altare s. Georgii, et in prima eius deductione ad templum bis omnibus pulsatur campanis, cum procedit et redit e templo.

Restat modo, ut normam quae in funeralibus observatur, videamus. In obitu episcopi, qua Ordinarii loci, triduo, ter de die omnibus pulsatur campanis: mane hora septima, post meridiem et hora quarta pomeridiana incipiendo; quod pariter observatur in funere alicuius principis. In morte majoris nobilitatis duobus diebus ter omnibus, et in obitu ordinarii nobilis tantum, bis de die pulsatur. Ultimo in obitu civis bis, absque tamen majori cum tribus minoribus signum datur, ter tamen in obitu et ter dum exportantur.

Maxima campana honori s. Georgii Mart., tutelaris civitatis dicata, fusa fuit anno 1404. Binas reperi inscriptiones gothicis litteris exaratas, quas lubens descripsissem, ast id binas ob causas praestare non potui; tum ob litteras exoticas et mihi plane ignotas, tum ex eo quod dictam campanam commode circumire non potuerim. Secunda honori B. V. Mariae consecrata, anno 1534 fusa. Tertia, cum recentibus annis in lucem prodierit, hanc legibilem inscriptionem gestat: „In honorem s. Nicolai archiepiscopi fusa sum anno 1663. Minima gestat salutationem angelicam cum hac inscriptione: „Jesu Christo Dei filio vero Mesiae. Anno 1630. Elias Sambrak me fecit.“

Aream, seu atrium quod cathedralem Basilicam ambit, lustremus. Ad orientem habet oratorium Corporis Christi, ad occidentem aulam episcopalem, septentrionem versus domibus officialium, et ad meridiem muro clauditur, per quem e duabus portis aditus patet. In medio huius muri, quae plateam publicam respicit, surgit sat magnifica moles instar altaris, cupro tecta, arctiori tempore hortatore Joanne Ludovico Schoenlebio, Decano Labacensi insigni, et historiographo sui aevi, facile principe a S. P. Q. L. erecta, cum icone seu statua Matris Dolorosae, filium exanimem in gremio gerentis, tanta artis peritia expressa, ut omnium intuentium animas ad pietatem inducat. In summitate haec legitur inscriptio:

O pIa, o DVLCIs Virgo MarIa.

Supra statuam exstat hoc chronographicum:

sIC IesVM pIa VIrgo DoLet.

Tertia sub ipsa statua hanc exhibet paropsidem:

Mater DoLorosa
Voto pLorantIs popVLI aspIrato benIgna.

In basi vero legitur sequens inscriptio:

MatrI DeI
senatVs LabaCensIs posVIt.

Ad hanc statuam sabathinis diebus confluente vicinia Litaniae Lauretanae decantari solent.

Inter Ecclesiam et domum Vicariorum stetit venusta tilia, substituta famosae illae tiliae, quae 18. Julii anno 1672. hora 9. vespertina ingenti exorto turbine ventorum funditus eversa et decussa prosternitur. Sub hac tilia, cum sirius arderet, ad solis crepusculum, quiescere vicini et convenire solebant.

Processiones a festo solemni Theophorico usque ad festum s. Michaelis qualibet die dominica cum quatuor Initiis et Ssmo. per hanc aream institui solent. Stationes vero hae fuere: Incipiendo a plaga occidentali, locus est ubi sub turri primum cantabatur Evangelium; secundum ad septentrionem eo locorum, ubi in pariete aulae episcopalis visebatur imago depositionis e cruce Salvatoris nostri Jesu Christi. Tertium non procul a dicta tilia, ubi in pariete oratorii Corporis Christi conspeximus Matrem Dolorosam eleganti penicillo effigiatam. Quartum et ultimum plateam versus ad latus sacristiae Corporis Christi, ad imaginem eiusdem sacratissimi Corporis parieti impressam.

Non procul ab hac ultima statione exstabat horologium solare cum hac superna inscriptione:

VERITAS TEMPORIS FILIA.

Subtus vero legebatur:

SIC VELUT ASSIDUO LABUNTUR TEMPORA MOTU,
ABBREVIAT VITAM QUAELIBET HORA TIBI.

In extremitate templi juxta turrim campanariam intra duas portas principales, conspicitur imago s. Christophori, Salvatorem nostrum bajulantis, cuius effigiem sequenti pagina dedimus. (Conf. in ap. fig. 6.) Stupendae erat magnitudinis, altitudine etenim sua ipsum templum adaequabat.

Restat pro coronide huius capitis, ut inscriptiones et monumenta, quae tum hic, tum in suburbiis ac vicinis locis, ubi olim romani incolae urbis suas habuere villas et praedia, me hortatore collecta ad excitandam veteris urbis Labacensis gloriam, neofabricae accesserunt, annotemus. Initium sumamus ab illo, quod omnium primo in pariete sacristiae Oratorium versus locatum est, cum sequenti inscriptione:

L. OCIATIVS TAR
QVINIENS. VET.
LEG. XV. H. S. EM.
T. C. ALVENTIVS
T. F. VET. LEG. VII. E.
ET OCIATIA LL.
EX PEC. TATA DE
SVO POSVERVNT.

Quae sic sonare videtur: Laelius Ociatius Tarquiniensis, veteris legionis decimae quintae Hastatarius secundus Emon. Titus Cajus Aluentius, Titi filius, veteris legionis septimae eques, et Ociatia lugentes, ex pecunia, tutore authore, de suo posuerunt.

Non procul inde conspicitur aliud monumentum, cuius summitas duabus avibus colo retorto exornatur, ubi haec inscriptio legitur:

CATTIVS. SECVNDVS
SIBI, ET CONIVGI
SVAE, ET ENECO
AVITO SVCCESSIO
AN. XX. AVITVS
AV. COM. ⊖ AVIVS
XXV. LATERTIO
SA. IX. VIVS FEC.

Hanc inscriptionem sic exponimus: Cattius . . . secundus sibi et conjugi suae et Eneco Avito successio annorum viginti. Avitus augur comodus. Vixit Avius annis viginti quinque Latertio Satulio 9. an. vivus fecit.

Tertia inscriptio jam parieti immurata, inde erruta huc, ut cernitur translata est, quae sic sonat:

HERCVLI AVG. SAC.
LEL. CLODIVS C. E.
V. E. L.
ALPINVS
C. CLODIVS L. E.
CLA.
CLEMENS
D.

Haec sic interpretari posset: Herculi Augusto Sacrum, Selius Clodius . . . .

Quarta inscriptio exstat parte altera cathedralis Basilicae, septentrionem versus, juxta portam lateralem huius tenoris:

VOLTARONTI
VORANI F. VIVA
FEC. † SIBI ET RVS
TCO SECONS CONIVGI
SVAE ⊖ AN. XXXX. ET
MAXVMA ⊖ AN.
XXV.

Sic sonare videtur hic cippus sepulchralis: Volterontia Vorani filia viva fecit sibi et Rustco Secons conjugi suae. Vixit annis quadraginta et Maxuma vixit annis viginti quinque.

Quintum monumentum, hac inscriptione insignitum exstat:

SEVERINVS
ALVENTIS F
VIVOS F. S. ET
PARENTIBVS
VALENTI QVARTAE

Sic sonat: Severinus Aluentis filius, vivus fecit sibi et parentibus Valenti, Quartae.

Sextum monumentum hanc inscriptionem incisam monstrat:

VENINAE VOLT
REGIS F. S.
BVIO SENNIVS
VXORI SVAE EL
SIBI, TVLIAE ET N
VALTERON.
GEN. SORORI
ET SIBI, V. F.

Sic autem sonare videtur: Veninae Volt Regis filiae secundae, Buio Sennius uxori suae El. . , sibi Tuliae et nepoti. Valterontio, generi, sorori et sibi vivus fecit.

Septimum monumentum duo capita exhibet, inscriptis vetustate corrosa, ac tota pene attrita, magnum nobis facessit negotium; quantum vero elicere potuimus has notas gestat . . . .

CAPUT VIII.

De domibus contignis cathedrali Basilicae servientibus.

Cum jure vicinitatis multa concedantur, quae alias non concederentur, licet nobis de Ecclesia cathedrali acturis, de domibus ad eam spectantibus et quidem modica quaepiam, quae nobis absque exacta indagine innotuere, ad notam sumere. Inter has primum locum sibi vindicat „Praepositura", e regione Sacrarii cathedralis Basilicae sita. Major huic commoditas, quam reliquis DD. Canonicorum aedibus. Ampliavit eandem Sigismundus Christophorus, de gente Comitum ab Herberstain, Praepositus ac dein Episcopus Labacensis. Reformavit quaepiam eiusdem successor Octavius, Comes Bucelleni. Restauravit eandem in pluribus reverendiss. ac ampliss. D. Joannes Bpta. Preschern, modernus Praepositus, vir insignis ac immortali virtute praeditus, literarum et literatorum fautor, urbi nostrae et orbi notissimus. Adhaeret huic horticellus puteo instructus, qui licet inter ipsa urbis moenia copiosus esse non potest, commendatur tamen inde, quod ab eo facilis digressus ad delicias adnexi collis umbrosi augusto capitolio coronati, quas urbs tota ac imprimis horti vicinitate illi affines aestate excipiunt.

Domus Decanatus medium inter Widerkerianam et Carnerianam domum occupat locum. Commoditate gaudet ea quae hero sufficere possit, huic pariter servit horticellus ei adnexus, ac dignus, qui ob amoenitatem umbrosi montis eidem contigui priori comparetur. Agnoscit possessorem suum modernum Decanum Ioanem Antonium Thalnitscher de Thalberg, cathedralis Basilicae Labacensis, de qua fuit sermo, restauratorem, qui modo in aedibus Beneficiatus s. Georgii Mart., de quibus mox mentionem faciemus moratur.

Parochialis domus stat ad latus Praepositurae et confertur a celsissimo Principe Ordinario Canonico ad baculum. Modo occupatur a reverendiss. D. Georgio a Wettstain, Parocho et Canonico Labacensi, viro rarae pietatis et priscae bonitatis. Est huic puteus a salubritate aquae multum commendabilis cum horto sat amplo.

Hanc subsequuntur ceterae D.D. canonicorum domus, quae iisdem commoditatibus, quibus reliquae potiuntur, unica excepta, quae e regione harum cernitur, parte una oratorium Archi-confraternitatis Corporis Christi, parte altera coemeterium P.P. Franciscanorum reformat. respiciens. Haec licet commoditatem horti non habeat, gaudet vicissim libero prospectu et speciali domus commodo. Incolitur haec a reverendiss. Joanne Pichio, seniore Canonico cathedralis Basilicae. Notandum hoc loco venit, quod quilibet DD. Canonicorum specialem habeat hortum extra Portam claustralem, floribus frugibusque spectabilem. — His viridariis non possumus non subnectere delicias, quas illi a fluvio Labacensi, qui horum terminos lambit, excipiunt, qui serum etiam in tempus eorum heros invitat ad hilaritatem capiendam.

Domus Beneficiatus s. Georgii, quam anno 1435. Primus Witschegk, civis Labac. condidit, reservato jure praesentandi Magistratui Labacensi, inter Carneri et s. Barbarae Beneficiati domum prostat. Nobilitavit hanc quam plurimum Joannes Ludovicus Schoenlebius, Carniolus Labacensis, Decanus, ac dein Archidiaconus inferioris Carnioliae, vir sui aevi facile historicorum princeps ac patriae Columbus, cum eandem 24 annis incoleret. Hic commune musarum domicilium vidisses, e quo, quasi e tripode Jovis, tot eruditissimi prodierunt libri. Cum immarcescibili tanti authoris fama, quidquid praeterea elegantiae habet, moderno possessori Joanni Antonio Thalnitschero, Decano Labacensi et Beneficiato eiusdem debet, qui eam undique reformavit, exornavit ac commodiorem reddidit. Hortus eidem adnexus caeteris, quos flora Labacensis intra muros urbis numerat longe palmam praepirit. Hic heri industria

hortensibus, deliciis refertus spectantibus genuinam parit delectationem et voluptatem: pascit etenim virore oculos, odore nares et reficit fruge hominem.

Domus Beneficiatus s. Barbarae inter dictam aedem et Praeposituram sita agnoscit fundatricem illustrem familiam Rauberianam, sago et toga claram. In eadem cernitur scutum marmori insculptum insignis illius Praesulis Thomae Crönn, Episcopi Labacensis, qui illam ruinosam anno 1621 restauravit.

Domus Beneficiatus ss. Trinitatis juxta oratorium Corporis Christi, qua parte septentrionem respicit, prostat. Haec inde commendatur, quod in quieto loco moretur, apto studiis et sacrae meditationi.

Restat modo, ut residuorum officiatorum aedes lustremus. Domus Vicariorum, olim sedes Praepositi Labacensis, licet magnam haud obtinuerit commoditatem, commendatur tamen ob quatuor praerogativas: liberum aurae transitum, Labaci fluvii vicinitatem, loci tranquilitatem et Basilicae propinquitatem.

Huius latus occupat schola publica civitatis, ubi juventus infima gratis instruitur. Haec vetustate sua dehiscens aliam praestolatur formam. In huius sarta et tecta Magistratus civicus incumbit. Inhabitatur a Capellae magistro, seu cathedralis Basilicae musices directore, qui teneram juventutem pariter musicâ imbuere tenetur.

Habet Sacrista cum Levitis quisque separatum domicilium. Aeditui pariter ac Basilicae ministri, quorum universim actu septem numerantur, viciniam dictae Ecclesiae cathedralis dispersim stipant, ut praesto sint ad servitia, quae omnia, cum de iis nil speciale notandum occurit linquimus, ac ad neo-fundatorum DD. Canonicorum Labacensium aedes motum facimus. . . . .

Adest jus exemptionis ab oneribus, quo Consul, Judex et Senatus liberat tres domos, quas emit Christophorus Episcopus sub dato 15. April. 1534; e contra fecit Episcopus civitati murum a domo Molendini usque sursum ubi balneantur equi.

CAPUT IX.

De Palatio episcopali.

Ad palatium seu residentiam episcoporum, quae ut luna inter ceteras domos ceu stellas fulget gradum faciamus. De veteri sede nobis omnia incomperta. Levis illa fuit, ut omnium rerum initium; praesentem vero molem suscitavit eruditione, magnanimitate et prudentia eximius praesul Christophorus, Episcopus Labacen. de illustri gente Raubarorum, ut monumentum lapideum, quod ad latus portae majoris palatii omnium oculis prostat, nos erudiet, quod sic sonat:

D. O. M.
CHRISTOPHORVS RAVBAR
LAIBAC. ANTISTES AC PONTIFEX,
SECOVIENSIS ADMINISTRATOR
SACR. ROM. IMP. CAESARIS
DIVI MAXIMILIANI, SVPREMVS
BELLI VENETI COMISSARIVS. SACER-
DOTII SVI VETVSTARVM AEDIVM
ANGVSTIAM, AC DEFORMITATEM PE-
ROSVS A FVNDAMENTIS DIRVTAS
IN HANC NOVAM FACIEM, PVBLICAL.

ELEGANTIAE, AC PRIVATAE COMMO-
DITATI CONSVLENS, SIBI SVISQVE
SVCCESSORIBVS RESTAVRAVIT,
BONISQVE VIRIS OMNIBVS PER-
PETVO PATERE VOLVIT.
M. D. XII.

Coronat hanc inscriptionem insigne gentis Raubarianae. A quo architecto et quomodo initium fabricae datum, testatur alia inscriptio lapidi incisa ea parte palatii, quae orientem respicit, sequenti, tenoris:

AVGVSTINVS TIERNVS
OPERIS PRAEFECTVS
IACTIS FVNDAMENTIS
IV. NONAS MAY. AN.
M. D. XII.

Qui hanc aulam restaurarunt, aut laudabili exemplo seu ampliarunt, seu exornarunt modo videamus.

Ulricus, Carinthiae Dux cessit anno 1277. pridie Idus Martii unam domum et aream in civitate Labacensi (stetit illa eo loco, ubi modo palatium episcopale) et stubam balnearem cum area contigua Monasterio Oberburgensi. Episcopus dedit plenam immunitatem jurium civicorum eiusdem.

Sigismundus Episcopus emit 3 domos pro aula episcopali anno 1476. Idem emit praedium a Melchiore Dawz anno 1477. die Veneris ante s. Martinum.

Ferdinandus Rex mandat sub dato 26. Maii 1533. Episcopo Christophoro et eius successoribus, habitationem eius Labaci vocari „palatium", vulgo „Pfalz", cui etiam concedit privilegium asylis sive reorum confugii, eximit eius familiam ab omni castigatione cuiuscunque praeter Episcopum pro suis insolentiis.

Reinaldus Scalichius, X. Ep. Labacen., qui ad annum 1631. regimen suscepit, in sua prima relatione ad Pontificem refert: „Palatium episcopale, quod est Ecclesiae contiguum, minatur ruinam, quod magnis modo sumptibus restauro, et fere in duplum adaugeo; quod id mihi in calamitosis istis temporibus sit grave, B. V. humillime considerandum relinquo."

Fridericus Otto ex comitibus de Buechaimb, perpetuam sui memoriam relicturus, palatii decus amplificare contendit, dum faciem exornare, ambitus restaurare, cubicula picturis condecorare non intermittit, in cuius rei fidem in triclinio visitur scutum gentilitium illustrissimae prosapiae comitum a Buechaimb.

Sigismundus Christophorus, comes ab Herberstein, porticum interioris areae, cum binis pergulis, seu peribolis, elegantiori et solidiori forma a fundamentis restituit, ac palatium in pluribus reformavit et nova suppellectili instruxit.

Ferdinandus, de gente Künburgica S. R. I. comitum, tractum illum superiorem, quae plateam publicam respicit, ab ungue reformavit, cubicula varia auxit, pretiosis picturis et sumptuosa suppellectili nobilitavit, hortum in castro Görtschach, quod Labaco duobus miliaribus abest, et recreationi principum episcoporum Labacensium majali destinatur, ampliavit, muro cinxit et ad voluptatem exornavit.

Constat autem haec aula atrio sat amplo, minori in quo stabulantur equi, non computando.

Surgit illa in tres contignationes. Infima servit aulae oeconomo, vulgo Schaffer, mediam occupant officiales cum famulitio, supremam Princeps. Per tres portas ad hanc datur accessus. Porta regia meridiem, altera orientem, tertia occidentem respicit solem. Totidem numerat scalas, unam regiam, binas secretas. Sacellum usui Principis destinatum, Dolorosae Virginis sacrum, eleganti icone resplendet. In hoc interdum sacri ordines dispensantur. Inclaruit Caesareis vestigiis haec aula: anno quippe 1660. augustissimus noster Imperator Leopoldus Magnus, cum 13. Septembris homagium feliciter susciperet. Nunquam sane tanta prius fuit isthic loci majestas. Vidisses ipsa die in conclavi suae Majestatis fidelissimos patriae proceres ad manuum osculum admissos. Spectasses splendidum et opiparum mensae apparatum; parte una, quae forum respicit militiam civicam in armis stantem, parte altera integrum bovem in conspectu omnium assari. Lautissimis epulis nobilissimos heros in supremis muniis hereditariis constitutos inservire et quemque officium suum praestare. Audivisses festivos tubarum et tympanarum clangores, bellonam Labacensem, e suo arcis capitolio reboantibus per aera tripudiare tormentis, ac cives in armis stantes trina explosione sclopetorum, ut ajunt „Salve", vectigalia deferre obsequia: omnium denique incolarum animos prae gaudio tantae praesentiae exsilire. Quae fusius de hoc actu tradidit, videatur Valvasorius, thomo tertio, Annalium Carnoliae, Lib. X. Fol. 380.

Hoc loco pariter consistoria, ubi causae matrimoniales et ad hoc forum spectantes ab ipso Episcopo vel ejus Vicario generali, coram ad hoc constitutis Consistorialibus (qui a potiori ex DD. Canonicis, PP. Societatis Jesu et PP. Minoribus Franciscanis reformatis eliguntur) dirimuntur, celebrari solent.

Hoc loco memorandus venit actus publicus celeberrimae „Academiae operosorum" Labacensium, anno 1701. in hac aula, sala majori, quae meridiem respicit, speciali indultu celsissimi principis Ferdinandi, Episcopi Labacensis, qua summi Maecenatis litteratorum, maximâ solemnitate celebratus. Huic actui interfuere bini principes, totidem praelati, deputatorum collegium, religiosorum coetus ac ingens omnis conditionis litteratorum copia. Discursum academicum magno cum applausu formavit clariss. D. Joannes Stephanus Floriantschitsch de Grienfeld, inter Operosos dictus Tinnulus, quem festivi tubarum et tympanorum clangores et selectioris musices concertationes praecesserunt et comitatae sunt.

Cum hactenus de residentia episcopali egerimus, superest, ut possessorum huius memmores simus, et quidem recentis a Friderico Tertio restaurati Episcopatus. Si etenim primitivae Labacen. Ecclesiae episcoporum seriem ab anno Christi 69., quo a s. Hermagora errecta fuit, contexere vellemus, densiori utique volumine opus esset.

S i g i s m u n d u s, illustrissimo sanguine L a m b e r g i o r u m oriundus, qui virtute et scientia universo orbi inclaruit, ita, ut per summa quaeque reipublicae decora ad praecipuas Germaniae infulas et ipsas sacras purpuras sit eluctatus. Primum Parochus s. Martini extra Crainburgum, tum Eleemosynarius et Confessarius Friderici III. Imperatoris, a quo anno 1461. in primum Episcopum sanctae Labacen. Ecclesiae constituitur; cui dignitati per 24 annos summa cum laude praefuit. Obiit Labaci cum fama sanctitatis die 28. Junii, anno 1488.; sepultus in cathedrali Basilica; cuius tumba, cum anno 1678. aperiretur, incorruptum eius sacrum corpus repertum, suavem edidit odorem. Exstat huius Oberburgi sequens monumentum:

I. X^po O. M. E. Q. M. M. M. V. S.

„Rmo. in X^to. D. S i g i s m u n d o, L a m b e r g i a n a i l l u s t r i o r t o f a m i l i a, p r i m o s. s e d i s E p i s c o p a l i s L a b a c e n s i s A n t i s t i t i, a F r i d e r i c o III. Rom. Imp. et P i o II. P o n t.

Max. gloriosissimis fundatoribus ad eam ob merita sua inclita, Deo vocante subvecto, Anno X$^{ti.}$ 1461. Thomas Epus. Nonus eius successor, Ferdinandi II. Rom. Imp. Consiliarius, in excelso interioris Austriae regimine Locumtenens, ac pro s. Religione Catholica Reformator. Anno SS$^{mi.}$ Jubilaei 1625., huius saeculi primo posuit."

Christophorus Raubar, Carniolus, avitae equestris nobilitatis, toga et sago illustris, dum Viennae 18 annorum adolescens litteris operam daret, nominatus fuit ad Episcopatum Labacen., ad quem confirmationem ab Alexandro VI. anno 1493. obtinuit. Anno 1509. Administrator episcopatus Secoviensis effectus, et Commendator abbatiae Admontensis; ad suprema munia Legati ad Septemviros: Generalis annonae in bello Veneto et confiniorum Croatiae Praefectus, ac supremi inferioris Austriae Locumtenentis adoptatus. Palatium episcopale a fundamentis extruxit. Obiit 26. Oct. anno 1536. regim. 44, aetat. 62. Tumulatus Oberburgi cum magnifico ac splendido deposito cum sequenti inscriptione: „Christophorus a Domo Rauborum, Secundus Pontifex Labacensis, Administrator Episcopii Secovien., Commendator Abbatiae Admontensis, vita pie ac liberaliter acta 26. mensis Octobris, Anno Salutis nostrae 1536. hic conditus. Vixit annis 58, mensibus 7, diebus 15; possedit Episcopatum Labacen. Ann. 44. Secovien. ann. 25. Admont. ann. 28. vivens sibi posuit".

Franciscus Kazianer, L. B., Carniolus gente, ex Canonico Passaviensi et Praeposito Saliensi in Episcopum eligitur, postquam duobus annis ante obitum antecessoris vices, seu coadjutoris munus cum laude gessit. Obiit anno 1544., aetatis 59. regim. 8., de quo exstat Oberburgi hoc monumentum:

„Tertius e primo succesit hic ordine Praesul,
Nobilis et prudens, ingenioque sagax.
Rauberi arbitrio adscitus tulit infulae honores
Tempore quos rapuit, Parca maligna brevi."

Urbanus Textor, Carniolus Carstensis, humili loco ortus, eximiae e contra doctrinae, ex Confessario, Eleemosynario et Concionatore aulico Episcopus, zelosus orthodoxae fidei progugnator et eximius Societatis Jesu, tunc primum notae, fautor, ad quem exstant litterae s. P. Ignatii, quibus eidem religionem suam commendavit. Dum legatione caesarea fungeretur in imperio, Donavertae ex lapsu per scalas ab haereticis ipsi structo, gloriosus pro fide martyr obiit anno 1558., ibidem sepultus.

Petrus a Seebach, provincialis Carniolus, alumnus Oberburgensis, ex parocho Moraizensi in Carniolia et Rusbacensi in Austria ad Episcopatum promotus anno 1559. Obiit anno 1570. aetat. 67, regim. 11, sepultus Oberburgi.

Conradus Gluschitsch, Carniolus Carstensis, ex parocho Hyperlabacensi in Episcopum promotus, bona Episcopatus abalienata redemit. Anno 1578. Goritiam a Lutherianismo purgavit et Romanae ecclesiae feliciter restituit. Obiit vir apostolicus anno 1578. aetat. 51. regim. 8., sepultus Oberburgi.

Balthasarus Radlitius, Carniolus Weixelburgensis, ob singularem doctrinam gradatim ad hanc dignitatem ascendit, dum e Canonico Labacensi in Decanum, ab hoc in Episcopum eligitur. Laudatur ab eloquentia, qua pollebat. Obiit anno 1580., aetat. 47, regim. primo, cuius exstat monumentum Oberburgi:

D. O. M. S.

Balthasari Radlitio, olim Decano Eccliae. ac Vicario Generali Labacensi, Slavice dicendi peritissimo, ab Archiduce Carolo praesentato et a Gregorio XIII.

confirmato. Idib. Maji ann. 1579. vita functo, praedecessori optimo, memoriae ergo Thomas Nonus Episc. Labacen. F. F. ann. 1623.

Joannes Tautscher, Carniolus Carstensis, ex Archidiacono Goritiensi Episcopus factus, et supremus Graecii Locumtenens; sub cuius regimine, instante Clemente VIII. Pontifice, anno 1595. P. P. Soc. Jesu Labacum introducti. Obiit 24. Augusti ann. 1597. aetat. 61., regim. 17. cui sequens monumentum posuit Thomas, Episc. Labacensis:

I. O. M. M. Q. E. Episcopo Labacen. Octavo Joanni Tautscher, AA. et Philosophiae Doctori, Canonico Viennensi, Parocho et Archidiacono Goritiensi Patriarchali, serenissimi Archiducis Caroli atque in interregno Ernesti et Maximiliani ac Filii Ferdinandi Consiliario intimo, nec non Provinciarum Austriae inferioris Locumtenenti meritissimo, ab eodem Carolo Kalendis Martii anno 1580 ad Episcopatum bene et praeclare diu gestum evecto, mox a Gregorio XIII. S. R. E. Pont. Max. Kalend. Junii eiusdem anni confirmato, vita demum Graecii 24. Aug. ann. 1597., magno bonorum omnium luctu, pie functo. Thomas Crön eius olim Canonicus Ecclesiastes, Decanus Labacen., ac tandem in Eptu. et locumtenentis Ferdinandi 2di. jam tunc Rom. Imp. officio successor, memoria et gratitudinis ergo F. F. anno Dni. M. D. C. XXII.

Thomas Crönn., Labacensis, Consulis filius. Hic omnes antecessores praeclaris gestis excelluit. Ex Decano Labacensi factus Episcopus, totam Carnioliam a Lutheri dogmate purgavit, plurima templa errexit, cathedralem Basilicam pretiosa suppellectili dotavit, pavimento ornavit; dominia Episcopatui auxit, P. P. S. J. lócum recreationis sub Turri aedificavit, Labaci et Graetii Alumnatus fundavit, Capucinos Lacacum induxit, Locumtenentis munus Graetii summa prudentia subiit. Obiit vir apostolicus plenus dierum 10. Febr. ann. 1630. Sepultus Labaci in cathedrali Basilica.

Rainaldus Scarlichius, nobilis Dalmata, ab Episcopatu Tergestino ad hanc dignitatem promotus, supremus interioris Austriae Locumtenens. Obiit die 17. Decembr. 1640., regim. 10. Sepultus Labaci in cathedrali Basilica.

Fridericus Otto S. R. J. Comes a Buechaimb, Austriacus, ex Canonico Passaviensi, Magdeburgensi et Salysburgensi Episcopus Labacen. Vir omni eruditione excultus, antiquitatum et rei nummariae cultor. Castrum Görtschach, quod Labaco duobus miliaribus abest, funditus exstruxit, aulam episcopalem magna parte restauravit et Basilicam nova suppellectili auxit. Cum maxime prosperi de eo sermones essent de purpura Romana, morte subripitur anno 1664. die 3. Aprilis, Pasavii sepultus.

Josephus ex Comitibus de Rabatta, Goritiensis, Ord. s. Joann. Hierosolymitani Eques, Commendator in Lossem, Oberlibich et Grostniz, Archiducis Caroli Josephi aulae praefectus et haeres. Commendatur ob liberalitatem in pauperes et in functionibus ecclesiasticis peragendis exactam observantiam. Obiit Labaci ultima Febr. ann. 1683., aet. 60., reg. 21. Quiescit in cathedrali Basilica cum sequenti memoria . . .

Sigismundus Christophorus S. R. I. Comes ab Herberstain, Styrus, ex Canonico Passaviensi et Ratisbonensi primum Praepositus Labacen., inde Rudolfswertensis, tum Episcopus Labacen.

Resignavit anno 1701. annuente Pontifice et Caesare et 1. Junii ad vitam privatam ad P. P. Oratorii s. Philippi Nerii Perusiam secessit. Cathedralem Basilicam nova suppellectili dotavit, Bibliothecam publicam et musices proventus auxit, Episcopatus aulam, aliasque arces eo spectantes aedificiis ornavit, ad aedificium Neo-basilicae larga manu succurrit.

Ferdinandus, S. R. I. Comes a Kuenburg, Goritiensis, Canonicus Salysburgensis, Archipraesulis ibidem Maximiliani Gandolphi non modo avitae nobilitatis sanguinis, sed et omnigenarum virtutum haeres. Castrum Görtshach amplo horto nobilitavit, aulam episcopalem elegantibus conclavibus exornavit. Literarum et literatorum fautor eximius, eruditione, magnanimitate prudentia et pietate nulli inferior, liberalitate erga egenos clarus; Eleonorae Magdal. Imperatrici charus cuius augustam filiam Mariam Annam Joannis V. Regis Portugaliae sponsam qua Legatus Ulyssiponam comitatus. Fit Archiepiscopus Pragensis.

Franciscus Carolus S. R. I. Comes a Kauniz, Austriacus, Viennensis, Metropolitanae Salysburgen. et Cathedr. Passavien. Canonicus, Praepositus Altetingensis; palatii apostolici causarum Auditor, post Ferdinandum Episcopum a vinculo Ecclesiae Labac. a Clem. XI. solutus et ad Archiepiscopum Pragensem promotus, a Josepho Imp. nominatus et a Carolo Rege rathihabitus. Possessionem accepit 10. Sept. anno 1711. aetatis suae 33. Ob literarum scientiam cum generis claritate conjunctam, vitae munditiam, honestatem morum, spiritualium providentiam et temporalium circumspectionem laudatur.

CAPUT X.

De Oratorio sacratissimi Corporis Christi.

Nunc Oratorium, quod latus Basilicae, sanctae Labacensis Ecclesiae, stipat, perlustremus. Datum huic eleganti fabricae initium anno M.DC.XL. eo locorum, ubi domus Satlbergiana stetit, quam vigore instrumenti publici anno 1639. emanati Congregatio alma ss. Corporis Christi a venerabili Capitulo Labacensi redemit. Amplum est opus, ac juxta regulas architectonicas formatum, latitudinem duplo largitudine excedit. Subtus commodo gaudet porticu, scalae amplae facilem praebent accessum ad atrium, quod Oratorio praeficitur, unde ad chorum musices patet scala. Pavimentum ei sat elegans accessit anno 1646. Notandum hoc loco venit, quod in hoc amplo domicilio, cum augustissimus Imperator Leopoldus Magnus, modo regnans, Labaci personaliter existens, anno 1660. 13. Septembris homagium susciperet, provinciae proceres primarii in supremis haereditariis muniis constituti, in decem tabulis quisque suos amicos, quam sumptuosissime tractaverint. Libet horum nomina subjungere:

Aulae Praefectus: Henricus Ludovicus S. R. I. Comes a Turri.
Mareschallus: Wolff. Engelbertus S. R. I. Comes ab Auersberg.
Camerarius: Idem excellentiss. Comes ab Auersberg.
Stabuli Praefectus: Joannes Georgius L. B. a Lamberg.
Venationum Praefectus: Joannes Jacobus Comes Khüsel
Culinae Praefectus: Joannes Gothard L. B. ab Egg.
Pocillator: Joannes Siegefried, Princeps ad Eggenberg.
Promicondus: Io. And. Com. a Saurer, eius loco Maxim. Com. a Schrottenbach.
Dapifer: Joannes Georgius, Dominus ab Hohenwarth.
Falconum magister: Ludovicus Ambrosius Panizoli;

quos vero tractaverint in Annalibus Valvasorii Lib. X. pag. 384 reperire licet, quo lectorem remittimus. Quanto non praeterea id commodo, praesenti de qua agimus Basilicae facricae fuerit, nemo est, qui ignoret. Hic solitae quotidianae missae cantatae, beneficiatorum obligationes et chorus canonicorum peragebatur. Hic diebus festivis concio dici ad populum et sacramenta piis fidelibus administrari solebant. Hoc tempore Jubilaei loco dirrutae cathedralis Basilicae visitandum cum tribus aliis praefixum fuit: Hic „Te Deum laudamus"ob expugnationem Landaviensem ab invictiss. Josepho, Rege Romanorum et Hung., celebratum. Hic, ut uno verbo omnia complectar, omnes sacrae peractiones habitae. Divinâ proinde providentia id huc olim locatum credimus, ut Episcopatus eo in omnibus occurrentiis libere frui possit.

Oratorii fabricam hucusque perstrinximus; superest, ut eiusdem Congregationem perspiciamus. Haec omnes reliquas Congregationes Labacenses, tum vetustate tum reditibus antecellit. Sunt autem, dum haec scribimus, numero 18., in cathedrali Basilica praeter hanc numero quatuor. Speciatim: Societas Nobilium, sub invocatione s. Dysmae, agonizantium patroni, quae numerum 51 aggregatorum non excedit, et si qui assumuntur, pro supernumerariis habentur. Redemptoris mundi, mercatorum haec proprie est. Sanctiss. Trinitatis et neo errecta Clericorum sub invocatione s. Philippi Nerrei.

In ecclesia s. Jacobi Apostoli P. P. S. J. vigent quatuor Congregationes, seu Deo et Deiparae congregatos coetus, qui sub suo Praeside Congregationis virtutibus student et caeteris exemplo praeeunt. Agoniae Salvatoris nostri, omnium copiosissima, quae ultra . . millia numerat. Altera Magnae Dei Matris sine labe conceptae, quam vulgus germanicam nominat; haec tam nobiles quam cives numerat. Tertia sub titulo Assumptae in coelum Virginis, seu Major , ... rhetores et poetas sodales habet. Quarta Natae Angelorum Reginae, ex suprema mediaque Grammatica scolares complectitur.

Templum Annunciatae Virginis P. P. Ord. S. August. Eremit. tres numerat. 1. Sanctiss. Rosarii, 2. Eiusdem Rosarii perpetui, 3. S. Mariae Virginis de consolatione, s. Augustini et Monacae Corrigiae.

Tres pariter numerat ecclesia Assumptae Virginis P. P. Franciscan. Reformatorum: Scapularis videlicet, Cinguli s. Francisci Seraphici et s. Antonii, Thaumaturgi Paduani.

In ecclesia divi Josephi, nutritii Christi et tutelaris Austriacarum ditionum, P. P. Discalceatorum Ord. S. Augustini binae reperiuntur, quarum una sub invocatione sacrae Familiae: Jesus, Mariae, Joseph nuncupatur, altera Matris Dolorosae, mortuorum vulgo audit.

Has comitatur neoerrecta pia Congregatio in ecclesia s. Michaelis Archangeli, Sanctimonialium virginum ord. s. Clarae sub invocatione sacratissimi Cordis Jesu.

Ex his quas recensuimus, uti Venetiis sex Congregationes, quas Scolas vocant, reliquis praeeminent, sic Labaci sex sequentes primatum tenent: „Sacratissimi Corporis Christi, utpote vetustissima; Nobilium, ibidem sub invocatione s. Dismae, charitativa; Agoniae, amplissima; Sine labe Conceptae, vulgo „germanica", inclyta; Rosarii, famosissima; Scapularis, pietosa.

Redeamus ad nostram, unde recessimus Congregationem, et perspiciamus eiusdem vetustatem, de qua exstat in matricula dictae almae ac vetustissimae Congregationis sequens inscriptio:

I. † M.
D. O. M.
SVA AB AETERNA PROVIDENTIA
BENE CVNCTA SVAVITER DISPONENTE
QVANDO PIVS SECVNDVS [ANTEHAC AENEAS SYLVIVS SENENSIS: SECRETARIVS CAESARIS AVGVSTI: PAROCHVS SLAVIGRAECENSIS, INDE EPVS. TERGESTINVS, AC SENENSIS et S. R. E.
Cardinalis PICOLOMINAEVS NVNCVPATVS] S. Sedis
Apostolicae Fastigium: et gloriosiss: Imp. Friedericus Tertius,
Archidux Austriae de tanta Clientis olim sui Secretarii, ac
Sacellani provectione et sublimitate laetabundus; Culmen
Thronumque Romani Imperii, annis Quinquaginta tribus,
plus minus respective felici gubernatione tenuerunt.

Haec pia, Sanctiss. ac Diviniss. Sacramenti Fraternitas
LABACEN: in Ecclia. S. Nicolai Myrensis Epi. ad laudem et
Gloriam DEI Omnipotentis rite instituta, inde usque initium
ac incrementa sumpsit
Anno Dni. M. CCCC. LX. I.

Cum haec aliquot annis immunis floruisset, suas passa est calamitates, ac imanis haereseos turbines, donec circa finem saeculi 16. jussu Ferdinandi II. Romanorum Imperatoris, acerrimi catholicae fidei progugnatoris, sub poena amissionis vitae, Luterani omnes, quorum pseudo-praecones, quatuor principaliter domicilia tenuerunt, duo in Foro veteri, quae ab sacris imaginibus lapidi incisis [utpote ad s. Christophorum, s. Crucem, s. Florianum et s. Barbaram] dignosci poterant, proscriberentur; quam rem strenue promovit insignis ille Lacacensium Praesul Thomas Crönn, qui urbem hanc a foeda hac colluvie penitus expurgavit.

Videamus modo qua tempestate famosissimae Archi-confraternitati Corporis Christi Romae s. Laurentii in Damaso fuerit aggregata. Promoverunt hoc negotium, gubernante sanctam ecclesiam Labacensem Joanne Episcopo, Sebastianus Samuyen, Decanus et Thomas Crönn, Canonicus Labacensis. Anno 1592. petierunt ii nomine totius Sodalitatis sequentibus motivis:

,,Cum ante annos plus minus triginta, haereseon buccina, ob peccata terrae pastorumque somnolentiam, dirum in hac patria insonuisset: mox vero sensim ingravescendo permultos e gremio catholicae Ecclesiae [proh dolor] abriperet, eoque nomine efficeretur, quod in hac Labacensi olim florentissima civivate, adeoque tota provincia, ubi pietas ante et devotio avita, ex quo Carniolorum natio Christum induisset, magna constantia viguerunt: illicet stupor quidam et ignavus torpor in locum subingressi, magnam sane magnatum populique partem virulenta sua dulcedine et licentia captam penitus occuparet: Catholicorum autem residuam paucitatem pro eo [qui tunc vel maxime fuerat necessarius] zelo ac fervore somnolentos valde et tepidos, ne frigidos omnino dicam, relinqueret, in tantum sane, quod in templo sacris exercitiis, praesertim vero catholicorum funerum conductionibus, rari admodum, qui ea comitarentur, rariores multo, aut fere nulli, qui feretrum piis humeris subirent, non sine piorum scandalo et haereticorum cachinnis, qui suae pesti multo ferventius incumbentes circa haec suo modo in suis synagogis frequentissimi, deserviebant, invenirentur. In hoc autem, sic ruinoso ecclesiae Labacensis statu, summa Dei bonitate et miseratione excitati sunt viri quidam boni, qui haec mala, propediem religionis

sanctitati finem allatura, altius animo expendentes: neve multorum pereuntium exemplo, eaque paucorum residua paucitate, catholica plebecula, paulatim omnis exorbitaret, salutari consilio providentes, Congregationem sive Fraternitatem augustiss. et diviniss. Sacramento Corporis Christi, Regis virtutum et gloriae omni devotione et humilitate servituram, jam olim Friderici III. Imp. gloriosiss. mem. tempore ann. 1461. pie fundatam, postmodum autem haereticorum pravitate dissipatam, iterato, quasi postliminio revocantes erexerunt. Labaci datae Dominica „Reminiscere“, anni 1592.“

Cura proinde et singulari dexteritate religiosorum Patrum F. Hieronymi, Dalmatae, Ordinis Capucinorum, Praedicatoris quadragesimalis Italici in cathedrali Labacensi Basilica et Patris Bonaventurae, eiusdem Ordinis, Commissarii Generalis Romae existentis, aggregatio prospero successu impetrata, summis privilegiis, quibus eadem florentissima Archiconfraternitas Romana gaudet, haec nostra vigore emanatae Bullae sub dato XI. mensis Junii dicti anni 1592. in perpetuum accumulatur. Grates demum, ut pro gratiis tam promptae associationis referant, binis consodalibus iter suum Romam parantibus committitur, illustribus et nobilissimis adolescentibus D. Joanni Georgio Ainkhürrn de Schenkenthurn, Hasberg et Lubegk, et D. Stephano Roverio. Hi spartam suam cum decore administrant ac Archiconsortium de felici successu ac copiosa fruge, quam indies in exstirpanda haeresi ex hac prospera associatione recipit Confraternitas, erudiunt. Quae autem munera haec nostra Congregatio Romae in signum mutui officii et fraternae conjunctionis per dictos legatos praesentaverit, ac vicissim ab iis perceperit, in supranominata matricula fusius notatum reperitur, quo lectorem remittimus.

Quam tenaciter hucusque eadem Archiconfraternitas Romana cum nostra fidam coluerit amicitiam, liquet ex eo, quod in omnibus occurrentiis, ac nupero Jubilaeo universali anni 1700., Romam ad capiendum illum magnum thesaurum, litteris 14. Octobris anni 1699 datis, nostros consodales confoederatos quam humanissime invitare non dubitarint, offerendo illis quotquot venerit, diversorium nec non ulteriora officia charitatis ad contestandum affectum fraternum. Hinc cum inter reliquos ex hac Sodalitate illustrissimus D. Petrus Antonius Codelli de Fahnenfeld et D. Joannes Stephanus Floriantschitsch de Grienfeld I. V. D. iter Romam pararent, iis, utpote viris summis ornamentis, honoris, virtutis, fortunae et ingenii praeditis, credentiales traditae, ut de humanissimo offerto condignas nomine caeterorum referant grates, ac mutua offerant officia.

Aemula olim ac laudabili concertatione dotarunt nostram Archiconfraternitatem insignes benefactores, inter quos non intermorituro nomine numerantur: Adamus Sontner, Canon. ac Vic. Generalis Labac., Michael Taller, Gregorius Kunstl, Markus Wenkovitsch.

Pro coronide huius tituli, quod summum rei est data servavimus, ut gemmeo stylo facundo ad posteros marmori insculpamus, tot haec alma ac vetustissima Congregatio fulget sideribus, quot Imperatoribus, Regibus, Archiducibus, Reginis, Archiducissis, qui propria manu maxima parte Labaci personaliter existentes, nomen matriculae inseruerunt:

Ferdinandus II. Rom. Imperator, Pius et Justus
29. Novem. 1637.
Leopoldus Magnus, Rom. Imperator, augustiss.
8. Octobris anni 1660.

Maria, nata 10. Novem., nupsit Principi Transylvaniae, 27. Nov. anni 1596.
Ferdinandus, Archidux Austriae, dein hoc noe. III. Imp., fer. IV. Cinerum anni 1597.
Maximilianus Ernestus, feria IV. Cinerum anni 1597.
Leopoldus, Archidux Salysb. et Passavien., Canon. Feria IV. Cin. anni 1597.

Gregoria Maximiliana, Philippi III. Hispan. Regis sponsa, 28. Decembr. ann. 1596.
Leonora, Archiducissa, 28. Decemb. ann. 1596.
Margaretha, Hispan. et Ind. Regina 28. Novemb. 1596.
Maria Magdalena, Cosmae II. Magno Florentiae Duci nupta, 7. Sept. ann. 1597.
Constantia, Poloniae et Svetiae Regina, 7. Sept. 1597.
Maria, Regina Hungariae et Bohemiae, 8. Febr. ann. 1636.
Leopoldus Wilhelmus, 29. Nov. ann. 1637.
Maria Anna, Maximiliano Bavariae Duci nupta, 13. Decembr. 1610.
Maria Maximiliana, 12. Jan. ann. 1597.

Numerat praeterea quinque Archiepiscopos, plurimos Principes-episcopos Labacenses et Graecenses; Principes Dietrichstainios, Auerspergios et Eggenbergios, Abbates, Praepositos et sexcentos alios de illustri prosapia Comitum et L. B. oriundos.

CAPUT XI.

De planta novae Basilicae sub Sigismundo Christophoro inchoatae.

His breviter indicatis ad novum opus accedamus, quod, ut initio operis insinuavimus, Decanus Labacensis et in spiritualibus per universam Dioecesim Vicarius Generalis funditus reaedificandi animo sibi proposuerat, neque a proposito tam pio, Deo duce, ungue recessit, donec superatis tot difficultatibus opus incaeptum ad optatum finem deduceret. Postquam enim patentes subsidii charitativi jussu celsissimi Principis-Episcopi Labacen., sub dato . . quibus omnibus parochis per universam dioecesim injungebatur ad hoc novum opus contribuendi, emanarunt, et ex hac ac aliis collectis aerarium sufficiens pro initio operis dando constitutum fuerat, cum architectis singulis rite perpensis omnia stabilita, nec non anno priori saeculari 1700. nonnulla provisio materialium, lapidis, calcinae et lignorum facta erat, vastam hanc ac magnificam Basilicae molem ad Andreae de Puteis e S. I. exemplar aedificare agresssus est idem Decanus Thalnitscherus initio mensis Aprilis anno 1701., anno utpote ter fausto, quo Jubilaeum saeculare ex indultu Pontificis concursu maximo ex tota dioecesi Labaci celebrabatur. Libet ad majorem claritatem narrationem temporibus distingui, ut perpetua oratione et brevi compendio currat historia. Die proinde 3. dicti mensis Aprilis, utpote die Dominica, R. P. Mathias Paradischiz e S. J., vir rarae facundiae et zelo pietatis insignis, Concionator ordinarius loci, ultimam in veteri templo ad populum dixit concionem, ea efficacia, ut lapides ipsos commovere videretur, laudando piam intentionem eorum, qui templum, quod rimis vetustate contractis ruinam minitatur, in ampliorem et magnificentiorem formam redigere meditantur, adhortando pariter omnes incolas urbis, ut cum haec sancta Ecclesia, matrix omnium ecclesiarum totius dioeceseos Labacensis per universam Carnioliam, partem Styriae et Carinthiae sit, in qua omnia Sacramenta piis fidelibus administrantur, pro possibili consilio et opere cooperari studeant, ut ad optatum finem deducatur, et in fine admonuit, ut magna copia ad comitandum sanctiss. Sacramentum, quod sequenti die Martis ad contiguum Oratorium Corporis Christi, ubi durante aedificio omnes functiones ecclesiae peragendae erant, processionaliter transferretur.

Die itaque 5. Aprilis, hora septima matutina, absente Episcopo Labacensi Sigismundo Christophoro, qui 2da huius ad castrum Görtschach, quod Labaco duobus milliaribus distat, quo annuatim Majali tempore ad captandam recentem auram se conferre solebat, discessit, a memorato Decano La-

bacensi Joanne Antonio Thalnitscher de Thalberg benedictum fuit Oratorium Corporis Christi ritu solemni, hora nona vero ab eodem ss. Sacramentum ex propria capella veteris cathedralis Ecclesiae elevatum et processionaliter translatum ad dictum Oratorium, ubi ab eodem Decano missa solemnis pro felici successu fabricae habita. Huic processioni non solum omnes civium ordines mechanici adfuerunt et praecesserunt, sed et summa Nobilitas, inter quam Principes ab Auersberg et Eggenberg, post clerum cum magna multitudine populi comittabatur.

Sexta Aprilis suppellectilis sacra e sacrariis in alium commodum locum fuit translata, altaria spoliata et suis pariter locis servata, pavimentum marmoreum erutum, monumenta conspicua illustrissimarum familiarum alio reposita, ne pessumdarentur, quorum inter illustrissimae familiae Lambergicae quinque numerabantur, quae eminentissimus Cardinalis Joannes Philippus Comes a Lamberg, Episcopus Passaviensis, Roma redux Labacum transiens, 7. elapsi mensis Februarii cathedralem Basilicam invisens, magna cum voluptate lustrabat, ac a Praeposito Labacensi eidem inservienti horum copiam sibi transmittendi expetiit. Fuit hic Cardinalis tribus diebus, a Comite Joanne Weichardo a Gallenberg, utpote suo affine, in cuius aula divertit, quam lautissime tractatus.

Octava Aprilis fabri lignarii, circa parvam turrim companariam detectionis, et sequenti die murarii ex parte sacrarii demolitionis initium dedere Templi, quod suo loco delineatum videre licet. Secundum id numero fuit ab incolis urbis anno 1356. reaedificatum. Primum enim nautae octavo saeculo, Caroli Magni tempore, in honorem tutelaris sui s. Nicolai eo loco excitarunt, cuius forma in pariete sub scalis, quae ad chorum musices aditum dabant, expressa omnium oculis patuit. In quo opere depositionis tecti octiduum fabri lignarii et demolitionis Templi quinque septimanas murarii consumpserunt: illi 16. Aprilis, hi 14. Maji finierunt, pridie utpote festorum Pentecostes. Quibus finitis in efossione fundamentorum juxta dispositionem Francisci Ferrata, Mediolanensis, provinciae Carnioliae architecti, usque ad 6. Junii consumptum.

Cum haec agerentur, supra memoratus Princeps-Episcopus Labacensis, postquam 11. Maji consensum resignationis Episcopatus sui a Summo Pontifice Clemente XI. Roma obtinuisset, ad iter se accinxit, Perusium (urbs est celebris Italiae in Tuscia sita, quae biduo Roma distat) petiturus, in cuius urbis Oratorio s. Philippi Nerrei, altioris Spiritus instinctu, reliquum vitae cursum consumere sibi firmiter proposuit. Antequam autem id aggrederetur, cum suo Vicario Generali, moderno Decano, de tota sua substantia disposuit, eidemque, quem summe dilexit, absque ulla dandâ ratione in fideles manus totam dictam substantiam concredidit et administrationi commisit. Bibliothecam publicam pariter vi instrumenti publici ante eius discessum una cum D. Praeposito Labacensi Joanne Bapt. Preschern et saepe memorato Decano erexit et fundavit.

Dispositis proinde omnibus prima die mensis Junii, hora secunda pomeridiana, pilento seu lectica portatus, una cum suis itineris sociis: P. Andrea Schweiger e S. J., suo confessario, D. Joanne Jacobo Schilling, Parocho Crainburgensi ac duobus inservientibus . . . Freii, camerario et Joanne, famulo, iter sereno tempore aggreditur, sumpto itinere Carinthiam versus, ut ibidem in Pontafel cum sua sorore, illustriss. Comitissa Kuenhillerin, nata ab Herberstain, quo pariter, uti literis conventum, statuto tempore advenerat, supremum vale summeret. Comitium ei dederunt sequentes, tribus curribus vecti usque ad S. Vitum, pagum uno milliari Labaco dissitum: D. Praepositus Labac., D. Canonicus a Pillichgraz L. B., D. Joannes Rudolphus L. B. Coraduzi, D. J. Bertholdus ab Höffer, D. Adamus ab Erberg et una mecum D. germanus meus, Decanus, cum D. Maximil. Leopoldo Rasp, Parocho Lythopolitano, Crain-

burgum usque. Famuli inferiores in Siscia cum lacrimis dimissi, officiales vero equites ad s. Vitum ultimam benedictionem acceperunt.

Sede vacante Capitulum Labacense, ut moris est, in suum Vicarium Capitularem saepedictum Decanum, qui pariter bona ac dominia Episcopatus administrabat, constituit, qui licet variis occupationibus pene obruebatur, omnium tamen maxime sibi neofabricam cordi sumpsit, ita, ut eundem nihil ab assumpto proposito abstrahere posset. Hinc, ut opus cum majori decore assummeretur, cum Ferdinando ex Comitibus de Küenburg, Canonico et Scolastico Salysburgensi, Romae ob negotia publica, Capitulum Saysburgense concernentia, existenti, quem Sigismundi Christophori successorem futurum compertum habuit, correspondit, ac eo disposuit, ut ibidem ichnographicam delineationem, a famosissimo architecto Andrea de Puteis e S. J., cathedralis Templi formari curaret, quod lubens suis sumptibus effecit ac eidem Decano transmisit.

Sexta Junii, die s. Norberto Episcopo sacra, initium fabricae juxta exemplum Roma transmissum datum. Lapis autem primus ea de causa absque solemnitate positus, ut successor a nobis abeuntis Episcopi primarium lapidem, de quo sequenti capite, majori cum solemnitate ponere campum habeat. Cumque operis ingenti fervore aggressi paries sensim ab humo extare coeperat, solemnes Jubilaei saecularis expiationes, 24. Julii die Dominica, copiosissimae christifidelium omnis status processiones initium sumunt, de quo, cum locus non vacet, minimum quid referremus.

Vidisses ea tempestate in una urbe Labacensi Romam redivivam et triumphantem utpote, ad quam quotidie spatio duorum mensium processionaliter non solum ex universa Carniolia, sed et Styria et Carinthia populus maximo numero confluxit. Quatuor expiantibus fidelibus praefinita fuere templa visitanda. 1. Cathedralis Basilica s. Nicolai, seu loco eius Oratorium ss. Corporis Christi, 2. Parochiale templum s. Petri, principis Apostolorum extra urbem, 3. s. Jacobi Apost. P. P. S. J. de urbe et 4. Annunciatae extra Portam hospitalensem. Incolae proinde urbis 15 vicibus dictas 4 ecclesias visitare tenebantur; qui vero trinis a Cathedrali institutis processionibus intererant, tantumdem effecerant, ac si separatim soli 15 vicibus visitassent. Exteri autem et e longinquis venientes solum ad binas processiones comitandas obligabantur.

Redeamus modo, unde recessimus, ad fabricam. Haec cum vix sese ab humo, ut diximus, extollere coeperat, ingens inter architectos Franciscum Ferrata, Mediolanensem, et Michaelem Samerlium Labacen. orta aemulatio et dissidium, ita ut idem Ferrata ab opere incoepto resilierit 27. Julii, ob has praecipue rationes, cum ferre non posset, ut Michael plures operarios, quam idem haberet; hinc omnem lapidem movit, ut praefatus Michael amoveretur et totum opus solus regeret. Cum vero Decanus, supremus utpote Director, in Samerlio singularem industriam et indefessam solicitudinem perspiceret, illum potius, quam hunc dimisit, et quidem ex hac potiori causa, quod idem Ferrata genio supremi Directoris, qui magni quid, ut decebat, moliebatur, minime correspondere noverit.

CAPUT XII.

Acta sub Ferdinando I. Episcopo Labacensi.

Initio itaque vix operi dato, ut mox dictum, Neo-Pontificem Labacenses salutarunt Ferdinandum, ex illustrissima familia Comitum a Kuenburg, Canonicum et Scolasticum Salysburgensem, Maximiliani Gandolphi de Kuenburg Comitum, quondam Archiepiscopi Salysburgensis cognatum, ac primario

Aulae Caesareae ministro Ferdinando Bonaventura, Comiti ab Harrach, supremo Aulae Praefecto, proxima affinitate junctum. Appulit is . . Augusti anno 1701. inter festivas saecularis Jubilaei solemnitates felici omine, ut Neo-Pastor mundatas a contractibus maculis seu expiatas sibi concreditas oves cum novo saeculo pascere aggrediatur. Obviam eidem celsissimo Principi Neo-Episcopo Labacensi nomine Capituli eundem salutatum fuere missi Hyper-Labacum Decanus Labacensis una cum seniore Capituli Canonico D. Joanne Pichi, qui eum venusta navi, vulgo dicta „Storia", exceptum, huc Labacum commitati sunt.

Hic Princeps, cumprimum appulit, praevie abunde literis de neofabrica informatus, praefato Decano Labacensi liberam, quam antecessor suus una cum reverendissimo Capitulo Labacensi eidem ob singularem, quam erga dictam Basilicam gerebat devotionem et zelum, tribuit facultatem, ratihabuit et confirmavit, videlicet pro libitu omnia disponendi, omnes operarios, ministros et praefectos ac alias personas pro dicta fabrica cum salariis et emolumentis debitis et consuetis eligendi et deputandi, illosque et alios ad sui beneplacitum cassandi et amovendi et de omnibus necessariis, prout illi melius videretur, providendi. Quos autem architectos, operarios et praefectos constituerit, et qualiter de necessariis providerit, suo quaeque loco dedimus, quo lectorem benevolum remittimus. Modo autem cum superius de felici adventu nostri Neo-Episcopi motum fecimus, non ingratum lectori fore arbitramur, si saepe memorati Episcopi installationis actum fusius communicaverimus, in spiritualibus videlicet. In temporalibus etenim primo 18. sequentis mensis Decembris a celsissimo Principe Joanne Antonio Josepho ab Eggenberg, Capitaneo Carnioliae, et Comite Francisco de Lanthieri, Vicedom. Carnioliae, qua ab Aula caesarea deputatis commissariis, fuit installatus.

Postquam in sacro DD. Canonicorum senatu decretum fuerat, Neo-Sponsum sanctae Labacensis Ecclesiae, Ferdinandum, in sua desponsatione, seu possesione capienda, cum omni solemnitate excipere: tres arcus triumphales eiusdem honori errigi curare statuerunt. Commissum negotium subtili ingenio viri exactae sapientiae ac doctrinae, Joannis Bapt. Prescheru, Praepositi Labacensis. Hic cumprimum varia emblemata ad stemma seu insigne nobilissimae gentis Kuenburgicae alludentia composuit, ac convocatis variis opificibus, fabrilignariis, arculariis et artis pictoriae peritis, exposuit mentem suam: illis, quo loco arcus ponendi, ac quali altitudine juxta cuiusque loci capacitatem exstruendi; his penicillo conceptus pro viribus secundum normam illis datam exprimendi. In primo itaque arcu juxta veterem portam atrii, quae paulo post destructa fuit, in summitate eiusdem cernebatur insigne gentis illustriss. Künburgicae cum sequenti inscriptione:

CAESARE FAVENTE
FERDINANDO EX ANTIQVA
GENTE KYNBVRGICA
PRINCIPE AC XIIII EPISCOPO
LABACENSI
CATHEDRAM CAPIENTE.

Secundus arcus triumphalis erat in porticu, seu vestibulo Oratorii sanctissimi Corporis Christi, utpote loco ad hunc actum celebrandum destinato. In apice eiusdem arcus stetit Fortunae simulacrum,

globo gentilitio volubili innixum, quod, ut perpetuo staret, a duobus aligeris id sustentantibus humo affigitur cum sequenti inscriptione:

MOBILE FIT FIXVM.

Tertium in summitate scalarum, in ingressu ad atrium Oratorii ostendisses. Duae hic pyramides repraesentabantur, utraque circa medium rimas agens et vectibus Künburgicis compaginata cum inscriptione:

DOMVS SVPERNAE ET INFIMAE VTRVMQVE IVNXIT ANGVLVM.

Pyramidibus superne eminebat ex nubibus „Providentia divina", utraque manu pyramidibus imponens globos Künburgicos cum inscriptione:

HIC FACTVS EST IN CAPVT ANGVLI. Marc. 12.

Supra portam interiorem Oratorii omnium maxima conspiciebatur imago, repraesentans S. Nicolaum, Archiepiscopum Myrensem, qua tutelarem sanctae Basilicae Labacensis Patronum, pontificali amictu stantem, qui sponsam Ecclesiam Labacensem cum Neosponso Ferdinando, Episcopo Labacen., conjungit; tribuens manu dextrâ Sponsae pomum aureum, genethliaco globi Künburgici colore obductum, sinistra vero porrigens aureum Sponso pomum; stolae extrema ornabantur genethliaco pariter colore cum inscriptione:

POMA NOVA ET VETERA SERVAVI TIBI. Cantic. 7

Subtus vero sequens legebatur stichon:

CONNVBIO IVNGAM STABILI, PROPRIAMQVE DICABO. Virg, 1. Aenead.

Stabilito proinde die 22. Septembris hora 10. matutina e Palatio episcopali sub baldachino, a quatuor Interioris consilii civibus portato, processit celsissimus Princeps-Episcopus, comitante eundem universo clero, sub pulsu omnium campanarum cathedralis Basilicae, ad Oratorium, quo tota confluxit urbs: optimates, populus, summi infimique, adventum Neo-Pontificis sui gratulantes. Hic cumprimum Oratorium ingressus, praevia solita oratione, cathedram, ab antecessoribus suis in functionibus publicis usurpari solitam, rite ornatam conscendit; quo facto Bulla Pontificia ad Capitulum, Clerum universum Dioeceseos et incolas urbis directa perlegitur, tum a Praeposito Labacensi, pontificali habitu induto, brevi, ast eleganti sermone, salutatur. Pone omnes, quorum interest, ad obedientiae osculum juxta dignitatis gradum admissi; qua prima veneratione finitâ, idem Praepositus mutato habitu ad altare majus inter amoenos symphoniacos et vocales concentus privatam dixit missam. Tum Neo-Pontifex „Te Deum laudamus" inter tubicinum et tympanarum clangores intonuit, quo durante omnes campanae totius urbis in signum laetitiae personabant. Pro coronide demum Capitulares et Optimates lautissimâ, ut par est, condecoravit mensa. Et haec obiter insinuata sufficiant. Ad fabricam redeamus.

Jactis itaque, ut supra dictum, feliciter fundamentis, indies moles surgebat, cuius parietes extrinsecus, cumprimum ex humo se tollerent, quadrato ac sextili lapide terno qua meridiem, et quinqueno quâ septentrionem respicit ordine contra quascunque injurias temporis muniebantur; quorum cum magna copia requireretur, omnibus, ne opus incoeptum sisteretur, latomis Labaci existentibus dictos lapides conficiendi commissum fuit. Posita prima solea Templi cum eiusdem cooperculo, bases lapideae, ex qua

surgunt stylobatae majores, locantur, inter quae monumenta varia e penu sacrae vetustatis, seu ruderibus veteris Aemonae eruta, ad ejusdem memoriam passim excitandam reposita, quorum inscriptiones suo loco dedimus. Portae binae, ut Sacrariis duobus aditum praebeant, ea parte, quae Oratorium saepedictum Corporis Christi respicit, erriguntur. Effigies proinde illa lapidi incisa, quae sacratissimum vultum Salvatoris nostri repraesentat, ac e regione domus DD. Vicariorum conspicitur, me hortatore eo locata fuit; cum enim omnes memorias veteris Basilicae ex incuria operariorum disjici ac muro novo imponi avimadverterem, hanc unicam ex centenis, ut saltem aliquid salvum maneret, servari ac eo reponi curavi.

Cum praeterea aedificium altius se extolleret, armatura, ut ajunt, tam intra, quam extra, ut operarii operam suam commodius exercerent, adhibita, trabibus haec plus centum majoribus innixa. De aliis necessariis alibi; hoc unicum hic non omittendum ducimus, quod magna copia vini loco aquae ad conficiendum coementum adhibita fuerit, cuius vini 5 vasa a diversis donata uno tempore numerata fuerint et hoc ea de causa, ut solidiores redderentur muri, qui ob eandem rationem trabibus durissimis, longo temporis intervalo praevie exsiccatis, ferro concatenatis ligebantur. Demum Decano extimulante opus usque ad stylobatarum majorum coronidem circa finem mensis Octobris deductum, cuius ne recens murus ingruente hieme damnum ullum patiatur, ex omni parte tectus fuit; operariorum vero quisque se ad proprios lares ad quietem capiendam recepit, ac sic finis fabrice pro hoc anno impositus.

Liceat nobis pro supplemento huius anni, quod circa finem eiusdem, mense Decemb. die 13., in Aula episcopali actum, ubi Palladi ac Minervae magnifice litatum, commemorare, cum actus ibidem publicus a nobili ac erudita Academia Operosorum Labacensium coram celsissimis Principibus, Optimatibus, Patribus patriae, nec non coram Senatu, populoque academico discursum formante, inter Operosos dicto Tinnulo, inter tubarum et tympanarum clangores ac symphoniacos selectionis musices concertus, magno cum applausu celebraretur. Haec obiter hic insinuare, et si lector benignus de eodem actu plura nosse maluerit, ad librum, hac de re editum ac in ipso actu distributum, remittere volui.

CAPUT XIII.

Acta anno secundo fabricae. (1702.)

Cum ea, quae primo anno acta, modo dedimus, ad ulteriora progrediamur. Non quievit animus Decani, ut aliorum, hiemis tempore ac incoepto labore, sed solicitus de futuris necessariis ad omnia intentus providebat: parando imprimis ac congregando nova media, seu aes ad sumptus necessarios exsolvendos, insistendo calcariis Igii, ut calx mature ac in conventa copia sistatur; consultando cum fabris lignariis de tecto ponendo; cum laterariis, quali forma lateres, ut coronix firmior existat, perficiendi; cum latomis et lapidariis de levi lapide comparando, ut is absque magno dispendio aeris in loco quodam vicino haberi posset. Detexit quidam lapidariorum 11. Februarii anni currentis 1702., quod juxta campum Jaculatorium extra portam Claustralem ad pedem montis, cui arx Labacensis incumbit, lapidem levem dari, qui operi inserviet ac levissimo pretio adduci poterit; quod oculari inspectione compertum, ac obtenta a civico Magistratu licentia effodiendi, magno dein fabricae erat commodo. Et quia ad annum elapsum insinuavimus, quod Franciscus Ferrata architectus inclyti Ducatus Carnioliae ab incoepto opere destiterit, diu consultatum, cuius in successu fabricae industriâ utendum foret. Non deerant cum

primum hoc notefieret, qui se ex remotissimis pariter locis huc venturos ad opus prosequendum obtulerint, speciatim ex urbe Pragensi, Viennensi, Salysburgensi et Mediolanensi Italiae, de quibus suo speciali titulo distinctius dedimus notitiam. Accersitus inter hos Petrus Janni, architectus Goritiensis et Fr. Josephus, Capucinus, quorum ultimus tuguriorum potius quam molium assuetus, ob conceptus eiusdem humiles et modicam experientiam dimissus. Janni e contra majoris experientiae et judicii opus incoeptum juxta mentem et prototypon Andreae de Puteis, architecti praestantissimi, prosequendum censebat, cuius sensui obtemperans Decanus exinde fabricam ad mentem dicti de Puteis et ab eodem transmissam ichnographicam plantam ope Francisci Bombasii, architecturae peritissimi prosequitur.

Hoc unum aegre tulit saepe memoratus Decanus, quod eadem tempestate in tot diversis locis Labaci aedificaretur. Patres Soc. Jesu non solum eorum templum altius tollebant, sed et sub turri novo sumptuoso operi initium dedêre, P. P. Franciscani ambitum extra templum, Sanctimoniales Ord. s. Clarae sacellum ss. Cordis Jesu, Augustini murum horti formabant, ac sic quam plurimi religiosi, saeculares omittendo, novo operi incumbebant, non absque singulorum damno, quia materialia ob eandem causam majori pretio redimere debebant.

Die 19. Aprilis, finitis utpote festis paschalibus, magno denuo fervore reassumptum opus, felici, ut speratur omine, cum eadem die hora octava matutina magnus Labaci terrae motus sentiebatur, absque eo, quin minimum causaverit damnum. Crevit id indies sub miti temporis cursu, ita, ut primis duobis annis, quod notatu dignum, nunquam operarii a sinistro aliquo accidenti vel tempestate impediti fuerint, quin a labore cessare debuissent. Dimidium proinde operis 27. Septemb. ad apicem deductum, ita ut sequenti die 28. fabris lignariis locus vacabat pro tecto parando, quod quoad compositionem tignorum spatio 20 dierum industria Sebastiani Lagoia, fabrorum lignariorum praefecto, perfectum fuit, nec non eodem die tribus globis cupreis deauratis, utpote die festo s. Lucae 18. Octobris, sequens inscriptio cum sacris reliquiis fuit imposita:

† † †

AD LAVDEM SSmae. TRINITATIS, IESV CHRISTI DOMINI NOSTRI, EIVSQVE Sac. VIRGINIS MATRIS MARIAE, NEC NON SANCTORVM OMNIVM, SED PRAECIPVE SANCTI NICOLAI EPISCOPI, HVIVS CATHEDRALIS ECCLESIAE PATRONI
HONOREM ET GLORIAM.
ANNO SALVTIS M.DCCI. DIE 24. MAY,

A FVNDAMENTIS EXTRVI COEPTA EST HAEC BASILICA, CONSUMMATA VERO QVOAD CHORVM ET DVAS LATERALES MAIORES CAPELLAS DIE 11.ma OCTOBRIS, M.DCC.II. GVBERNANTE ECCLESIAM VNIVERSAM CLEMENTE XI. PONT. MAXIMO, IMPERATORE AVGVSTISSIMO LEOPOLDO MAGNO, EPISCOPO LABACENSI, CELSISSIMO AC REVERENDISSIMO PRINCIPE DNO. DNO. FERDINANDO, EX COMITIBVS A KUENBVRG &&. SVMPTIBVS COLLATITIIS CLERI IMPRIMIS ALIORVMQVE VRBIS INCOLARVM IOANN. ANTONII THALNITSCHER A THALBERG, EIVSDEM ECCLESIAE DECANI, VICARII GENERALIS, ET FABRICAE HVIVS DIRECTORIS INCREDIBILI CVRA, ET INDEFESSA INDVSTRIA OBTENTIS. GLOBVS VERO ISTE SVPERIMPOSITVS FVIT DIE 18. OCTOBRIS, EODEM AN. 1702. IN FESTO S. LVCAE EVANG., ET IN EODEM INCLVSAE DIVERSORVM SS. RELIQVIAE.

Item crux vera Caravacensis, numisma benedictum s. Benedicti, cera benedicta ab Innocentio XI. Pont., particula tincta de sanguine, uti de bireto eiusdem sanctae memoriae Pontificis, de aqua sepulchri s. Nicolai, particula petrae de grotta s. archangeli Michaelis, ubi apparuit et creditur, quod splendore suo reddiderit candidam; numisma s. Venantii et imago quae tetigit sanguinem suum, (hic est declaratus specialis patronus contra terraemotum); annulus, qui tetigit originalem Perusii lignum rosarum, in quibus se s. P. Franciscus volutavit et ex illo tempore non amplius habet spinas; crucula miracu-

losa arboris, quae crevit ex arrido baculo s. P. Francisci; clavis sacrae domus Lauretanae, quae tetigit originalem; imago ss. Nominis item Lavretana, quae tetigit originalem Laureti; particula syndonis, quae tetigit syndonem, in quo involutum fuit corpus Redemptoris Nostri Taurini; imago B. Mariae V. Dolorosae, quae tetigit originale Labaci ad s. Florianum, et una imago, quae pariter tetigit originale Viennae B. V. M. in Bötsch.

QVAE OMNIA TECTVM HOC, CVM ECCLESIA, IMO TOTA CIVITATE, AC DIOECESI LABACENSI, AB OMNI TEMPESTATVM ATQVE ADVERSITATVM PROCELLA, ATQVE DAMNO TVEANTVR PER CHRISTVM DOMINVM NOSTRVM, AMEN.

Haec inscriptio, ut supra dictum, supra membranam majusculis ter descripta manu D. Danielis Peer, officii episcopalis Notarii, manu propriâ Decani tribus globis imponebatur, et quia de aqua sepulchri s. Nicolai ad unum globum tantum venit, eius loco in alterum globum particula ex praecordiis s. Francisci Xaverii, ac in tertium de mensa, in qua celebravit. s. Petrus, Apostolorum Princeps, impositum; in eadem membrana reperitur a tergo sequens inscriptio:

†

† CHRISTVS † REX † FORTIS † REGNAT † IN † PACE † DEVS † HOMO † FACTVS † EST † AMEN †
SANCTVS DEVS, S. FORTIS, S. IMMORTALIS MISERERE NOBIS.

Antequam ulterius progrediamur, libet aliqua notatu digna, quae interim acciderunt, commemorare. Ipsa die, quo tectum imponi coeptum, videlicet 28. Septembris, ut nobis biduo post innotuit, factum est, quod supremus Gallorum piratarum Generalis Fourbin Carnioliam infestis armis invaserit, et civitatem Louranam, quae sat commodo maritimo portu gaudet, injectis 200 pilis incendiariis et pyrobolis, eam circa meridiem vi occupaverit, igne tectis injecto, et spoliato loco ad naves se receperit. Haec sinistra nova bona comitata sunt, cum nobis mox innotuit, quod augustus noster Rex Josephus, Landavium, fortalitium summum in Alsatia, a Gallis 20 pene annorum spatio exstructum, vi ad aeternam sui famam expugnaverit, ad grates proinde maximo Deo referendas, dies 29. Octobris in Oratorio Corporis Christi, praefixa, ubi „Te Deum laudamus“ omni possibili solemnitate cantatum, perorante viro undequaque eximio et literatiss. P. Philippo Hoffstetter e S. J. Ill. Comes Weichardus a Gallenberg, Locumtenens Carnioliae, magnates patriae lautâ mensa excepit; tota pone dies, iteratis vicibus explosis tormentis majoribus, inter festivas acclamationes „vivat Josephus“ fluctuabat.

Tertia proinde Decembris in dicto Oratorio sacerdos quidam, nomine Clemens Justinziz, qui ante 50 annos in cathedrali Basilica Labacensi primum Deo litavit ad aras, secundas Eidem Magno Deo obtulit primitias. Astitit eidem D. Praepositus una cum duobus D. D. Canonicis senioribus ac dein festivo convivio honoravit. Supervixit is secundas has suas primitias incolumis et sanus multis annis.

Ad fabricam revertamur. Sumpto consilio de reliqua Basilica evertenda, totum negotium ex pacto commissum Michaeli Samerlio, murariorum Praefecto, qui hoc onus ergo modicum stipendium assumpsit, ac initium demolitioni 13. Novembris dedit, experimentatis hic usus operariis et suo maximo commodo sensim opus dejecit. Cum aliunde laquearia columnis innixa animadverteret, subductis horum fundamentalibus basibus, magnam inde causavit ruinam. Accidit e contra, ut cum minime crederet, ex his ingentibus columnis una non eo, quo illam deducere parabant, sed alio a muro eidem incumbenti flexa, tanta vehementia ruerit, ut firmissima laquearia monumentorum binorum illustrissimae gentis Ursinorum et Lambergiorum Comitum funditus disruperit, nemine tamen laeso, quod speciali providentiae divinae tribuendum, universis tamen ex ingenti fragore innoxio pavore perculsis. Quo ab opere non

cessavit praefatus Michael, donec ab ingruente hiemis rigore ultra laborare impediebatur. Spatio autem unius mensis cum demolitione eiusdem operis eo devenit, ut solum 9 pedum altitudinis e solo veteris Basilicae relictum fuerit, et sic labori pro hoc secundo anno finis totaliter impositus.

CAPUT XIV.

Acta anno tertio fabricae.

Anno M. D. CC. III., tertio fabricae, opus inter continuos Bellonae motus et Martis terrores (necibus tota pene Europa exercetur) ac insolitam, crebramque coeli intemperiem continuatum. Initio etenim veris incolae urbis cogitabant de Gallis pyratis, qui Adriaticum mare, ne Aemona hinc deducta ad campum Caesareum oris Italicis incumbentem pertingat, hosticis triremibus et infestis armis impervium redidere, intercludendo aditum in patriam; quibus dispersis Emanuel, Elector Bavarus, proxima aestate universum pene comitatum (cum minime credebatur) Tyrolim inundavit. Hinc aliud eidem improvisae imminebat periculum invasionis. Aestas et autumnus pene totus pluviosus, non modicam operariis causarunt remoram. Et si praeterea eundem annum ultro ad trutinam ponimus, maximi is laboris ac dispendii fuit, nec non plus sudoris quam reliqui duo conjunctim sumpti attulit Decano, fabricae Directori, qui intentus esse debuit, ut reliquum Basilicae solo aequetur, ut terra effossa pro fundamentis extra urbem educatur, ut ibidem initium fabricae detur, ut dimidiae perfectae Ecclesiae fornices et laquearia imponantur, ut eiusdem parietes tam intra quam extra incrustentur, ut gypso exornentur ac tandem, ut tam laquearia quam parietes eleganti penicillo ad majestatem condecorentur, nec non fenestrae suis necessariis requisitis et vitreis ornamentis instruantur et perficiantur; quae omnia longe majores sumptus, quam primis annis poscebant. Verum haec omnia Decanus, ad res sane arduas ac praeclaras producendas natus, aequo animo tulit et ad suum optatum finem deduxit.

Veris proinde initio institit, ut non solum mature quod restitit, reliquum Basilicae disjiceretur, sed et pari quo incoeptum fervore opus continuaretur. Mirum quod in effossione ruderum veteris Ecclesiae principalis lapis hucusque non sit repertus; latet is fors sub turri seu campanili, quae necdum disjecta. Numus vero argenteus, cuius prototypon mox dabimus, una cum duobus vasculis vitreis 26. Aprilis, hora septima matutina repertus fuit. Latebat is sub magno lapide quadrato altitudinis duorum pedum et latitudinis 5. reconditus, sua in cavitate altero lapillo coopertus. E dictis vasculis unum stans rite adhuc clausum, aqua, quam credimus benedictam seu e baptismali fonte desumptam, plenum; aliud vacuum ac humo prostratum. An id in impositione vel tractu temporis eversum, Deus noverit. Videamus modo eorum formam. (Fig. 6. in apend).

Haec vascula D. Urbanus Sella, Sacrista cathedralis Basilicae, qui, cum illa detegerentur, una adfuit, salva servavit; quae mox Decano una cum numo tradita fuere. Vasculum vero plenum a Celsissimo requisitum, eidem exhibitum. Numi inscriptio sic sonat:

1519
PETRUS
EPUS. TERGES.
ME POSUIT IN
HONOREM MARIAE
ET ANNAE MA-
TRISEIUS
X. APRILIS.

Hic numus repertus fuit eo locorum, ubi Sacellum Congregationis Redemptoris mundi stetit. Positus hic lapis authoritate delegata a dicto Episcopo, absente celsissimo nostro Ordinario Christophoro, Episcopo Labacensi, qui ea tempestate Locumtenentis munus Viennae Austriae obivit.

Cum haec agerentur, fornices Ecclesiae dimidiae imponebantur, quas, ut cum omni splendore perficeret, artificioso gypso et eleganti penicillo exornare statuit Decanus, cui postquam rara Julii Qualaei, pictoris eximii, qui in regionibus patriae conterminis, quantum valeat dudum comprobavit, innotuit, Joannem Andream de Coppinis, Patritium Carnioliae, virum singularis judicii et experientiae, eidem Qualaeo utpote notum humaniter requisivit, ut eundem ad eam provinciam suscipiendam invitaret, quod lubens praestitit; ac eidem mense Martio unâ cum illustrissimo Comite Francisco de Lanthieri, Vicedomino Carnioliae scripsit, ad quorum litteras se 30. Aprilis stitit. Cumprimum is aderat, accessit Decanum, tum Vicedominum, in cuius posterioris aedibus postridie de omnibus conventum et stabilitum, ut praeter constitutum stipendium eidem cum suo discipulo Carolo Carloni victus erogaretur. Fuerat is juvenis 16 annorum, promptus et sagax, qui quidquid magister suo penicillo expressit, mox rubricâ retulerat in membranas ea dexteritate, ut admirationem id intuentibus paruerit. Julio victus ad mensam Decani et eius discipulo ad Sacristam Ecclesiae, utrique vero habitaculum in aedibus D. D. Vicariorum subministratur.

Accersito pariter ad Basilicam gypso exornandum artifice Thoma Ferrata, Mediolanensi origine, opus committitur, qui unâ cum tribus suis discipulis, inter quos duo genuini filii, fornicem ad majus altare obliniendum aggreditur 2da Maji; quem paulo post, videlicet septima dicti mensis, sequitur Julius Qualaeus et omnium primo ibidem originem neo-restituti Episcopatus Labacensis admiranda majestate expressit.

Prima Junii rediit Episcopus ex itinere suo Salysburgensi, ubi ultra annum morabatur in gratiam affinis sui Comitis ab Harrach, Canonici ibidem, quem in Coadjutorem moderni Archiepiscopi Comitis a Thuen, utroque oculorum usu destituti, rem Leopoldo Imperatore urgente, promovere parabat, quod negotium mutata rei facie dilatum. Adhuc eo vesperi hora 6ta e suo castro Görtschach redux visitavit neofabricam, ac collato consilio quantocius principalem lapidem ponere statuit.

Cunctis proinde ad hanc solemnitatem requisitis et praevie paratis 17. Junii, die utpote Dominica, e quinque pulpitis, e quibus ad populum fieri concio solet, speciatim vero in Oratorio Corporis Christi, ad S. Jacobum S. J., ad Capucinos, Franciscanos et Moniales s. Clarae Ordinis, promulgatum, quod celsissimus Ordinarius loci sequenti die lapidem principalem solemni ritu ponere decrevit.

Die igitur Lunae, quae fuit 18. Junii hora nona matutinâ, dato signo campana majori, celsissimus Princeps Ferdinandus I. Episcopus Labacen. principalem lapidem abs se benedictum in fundamento anguli turris campanariae, quae plateam respicit, divino Numine invocato ad aeternam omnipotentis Dei gloriam et tutelaris primarii patroni urbis et dioeceseos Labacensis s. Nicolai honorem, venerabili adstante Capitulo, Clero, Nobilitate, populo, summo infimoque, ritu maxime solemni collocavit, hoc servato ordine: Finitis horis consuetis Praepositus, Decanus, cum reliquis DD. Canonicis et Clero, omnes suae quisque functionis habitu induti, ex Oratorio ad residentiam episcopalem processere, levato Episcopo in cappa majori ad Oratorium rediere, ibidem pontificali amictu indutus, mox inde processionaliter ad medium Ecclesiae neo-exstructae deducitur, ubi crux supra strues lapidum locata fuit; ibi juxta ritum Ecclesiae divinum auxilium imploratum, quo peracto ad fundamentum dictae turris processionaliter itum, quo dum ventum descendit Episcopus cum Decano ad imum fundamenti, caeteris in ripa circumstantibus. Descendit pariter murariorum praefectus Paulus Jugoviz. Ibi juxta pontificalis

libri caeremoniam lapidem Episcopus benedixit, cui Decanus cupro incisam inscriptionem, tres numos argenteos et varias sacras reliquias imposuit, dictus Paulus caementarius autem, populo universo spectante, calce et lateribus operuit, pulsatis in laetitiae signum campanis Ecclesiae. Sequentes erant reliquiae: Cera benedicta Papae Innocentii XI.; item eo tempore regnantis Papae Clementis XI.; numus a Pont. Bened. s. Philippi et Nerei; item numus s. Venantii Mart., patron. contra terraemotum; de saxo grottae, in qua apparuit s. Michael Archang.; de spinis, quibus volvebatur s. Franc. Seraphicus.

Inscriptiones modo videamus cupro eius longitudinis et latitudinis, quam subjuncta forma prodit, incisas. In prima facie haec legebantur:

BASILICAM
DIVO NICOLAO ARCHIEPO. MYRENSI
PATRONO PRIMARIO LABACENSI
SACRAM
VETUSTATE SQUALENTEM
IO. ANTONIUS THALNITSCHER DE
THALBERG, DECANVS & VIC:
GRLIS. LABACENSIS.
OPE COLLECTITIA,
AC INCREDIBILI CURA,
A FUNDAMENTIS RESTITUIT.

ANNO A PARTU VIRG. CIↃ. IↃ. CC. I.
SEU AEMONAE CONDITAE

2924.

Parte altera haec inscriptio erat incisa:

IN CATHEDRA PETRI SEDENTE CLEMENTE XI.
REGNANTE LEOPOLDO MAGNO
ANTISTITE LABACEN: S. R. I.
PRINCIPE FERDINANDO I.
EX COMITIBUS DE KUENBURG
ET EPISCOPATUM GUBERNANTE
INSTAURATIO BASILICAE CATHEDRALIS
LABACENSIS.

Restat modo ut numorum argenteorum, qui latitudine cummunem hostiam adaequabant, inscriptiones et eorum imagines (Conf. fig. 7 in ap.) subjungamus.

Horum facies nulla egent explicatione, cum per se clarae sint. Prima, ut apparet, exhibet novae Basilicae formam, seu faciem eiusdem lateralem exteriorem. Secunda Episcopum modernum Ferdinandum primum, qui genu prostratus Neotemplum tutelari patrono divo Nicolao offert. Tertium praefert plantam Neobasilicae anno Jubilaei inchoatae. Peracta functione lectum: Indulgentias 40 dierum ex indultu celsissimi Principis-Episcopi Labacensis omnibus ad hanc solemnitatem confluentibus piis fidelibus concessas. His finitis tradidit idem Episcopus Decano authori et promotori fabricae in marsupio auro contexto centum numos aureos eidem aedificio applicandos.

His adnotatis ad ulteriora properemus. Finita prima imagine, ut supra dictum, spatio 12. dierum absoluta, majus laterale sacellum Julius aggreditur, ubi de sacratiss. mysterio Eucharistico figuras et historias, de quibus speciali loco fusius, effigiavit. Ab his ad quatuor Evangelistas eo loco, quo paries intra arcuatae fornicis curvaturam altissime expanditur ad sustentandum tholum formandos motum facit. Hos tam eleganter expressit, ut artem cum natura copulasse videatur. His peractis se ad aliud sacellum majus, honori s. Dismae dicatum, accingit; interim diu disceptatum et consultatum, quid de tholo faciendum. Ambiebant omnes fabricae zelosi, ut absolveretur juxta unam vel alteram formam a peritissimo Andrea de Puteis exhibitam; verum cum minorem formam decem millibus, majorem vero viginti, ac duorum annorum spatio erigi posse affirmabant, sumptus e contra ad hanc molem imponendam necessarios his gravissimis belli temporibus comparari haud poterant, ac omnes opus brevi absolutum optabant, hinc illud ad aliud tempus opportunius dilatum, ac consilium ex necessitate sumptum, ut eius loco tholus fictitius substituatur interim, donec meliora recurrant tempora ac nova adferant media, quibus opus possit ad suam optatam pertingere perfectionem, quod faxit Deus ad suam majorem gloriam et tutelaris Patroni honorem.

Tholus proinde tignis gravissimis stratur, et coementitio opere oblinitur, quem dein Julius suo eleganti penicillo ad miraculum coloravit; ea arte, qua olim Apelles, de quo fertur, quod uva tam apte coloribus expresserit, ut aves ad eadem capienda advolaverint, cum de eius pictura idem observatum fuerit, et quidem 13. Octobris, qua die avicula quaedam diu circumvolitans et exitum quarens per unam ex pictis tholi fenestris evadere nitebatur, ast rostro impegit.

Quae pariter ea tempestate, dum tholus depingeretur, Labaci accidere libet annotare. 11. Augusti publicatum mandatum Caesareum et consuetis locis affixum: Conclusum esse comercium cum sua Majestate ac Hollandis et Anglis, ac intra modicum tempus plures naves mercantiles onustas mercibus Tergestum, ad flumen s. Viti et Porto Re venturas. Hinc omnes cum suis mercibus parati sint, ut non solum suas cum illorum permutare possint, sed et illis de victu necessario provideant. Verum hi ad sinum Genuensis Reipublicae solum pertigerunt et ad comitandum neoregem Hispaniae Carolum II. reverti debuerunt. Quantum hoc communi bono utilitatis attulisset, facile judicandum, quae non commoda, imo splendoris integris provinciis afferant commercia publica et mercimonia testantur tot respublicae in florentissimum statum evectae.

Tertia proinde Septembris appulit Labacum ex Hungaria legio Viermondiana, continens 2400 pedites, e quibus 400 Croatae. Hi omnium primo extra portam Carlostadiensem in planitie, „Prule“ vulgari nomine dicta, castra metati sunt. Cum vero hic locus ab exundatione aquarum minus sit tutus, ad alium 5ta dicti mensis, comodiorem frumentationi, pabulationi, aquationi et lignationi se conferunt locum ad Savum, seu ripam eiusdem e regione montis Cetii, vulgo Callenberg, ibidemque stativa locant, ac toto pene autumno ordinem, quo se vertant, suae Caesareae Majestatis expectant, una cum 400 aliis Croatis, qui Tergesto reduces iis ex mandato conjunguntur. Invales-

cente tandem aeris rigore et ob motus Hungaricos mandatum recipiunt, Hungariam denuo repetendi. Providebantur illi ab urbe pane, vino, carne et foeno, hinc accidit, quod cum certo tempore currus sufficientes habere non possent, pro fabrica destinatos currus in facie operariorum sibi arrogare praesumpserint; verum vocati in auxilium operarii praesumptuosos repellunt ac vim subito vi retorquent.

Absolvit tholum, seu cupolam, 24. Septembris, in qua perficienda sex septimanas consumpsit. Mirum, quod tam modico temporis spatio tantam rerum varietatem et copiam exprimere potuerit. Levatis porro sustentaculis postridie 25. Septembris ea omnium oculis videnda prostat. Fama divulgata tota pene confluit urbs ad id contemplandum, quod dudum anxie videre expectabat. Fixis proinde et attonitis oculis summi infimique spirantes prope contemplarunt imagines, nec non artificis opus ad supera usque extulerunt. Neque hoc loco omittendum ducimus, quod varii ab exteris regionibus studio ad id videndum Labacum appulerint.

Julius interea simulacra duo, zelum et amorem divinum, ad duo latera fenestrae supra majus altare coloranda aggreditur; quibus expressis ad lateralia inter fenestras laxamenta motum facit. 10. Octobris post ingentes pluvias, quae non modicum murariorum opus stiterunt, secuta ingens inundatio, integris enim 14 diebus diu noctuque pluebat, ita ut urnam coeli eversam credidisses. Natabant inde prope domus in suburbiis Cracoviae et Tyrnaviae vulgo dictae; ripa ad s. Clementem et Fridolinum nusquam apparuit; in dicta ecclesia altitudine trium pedum aqua stetit. Pontem hospitalensem ingentibus lapidibus onustum pene adaequavit ac molendina plurima pessumdedit.

Ad Julium, a quo recessimus, redeamus. Hic ibidem duas historias, Episcopatus Labacensis „reerectionem“ et „confirmationem“, tum suis locis angelos insignia episcopalia portantes suo penicillo efformavit. Quod dum ageret, accidit, ut cum quispiam ex una e duabus fenestris, quibus tectum Sacrarii subest, per id transire nititur, fallente pede praeceps ruit, ast praeter omnium spem in extremitate eiusdem tecti haeret, quod speciali divinae clementiae et s. Nicolai tutelae adscribendum, qui specialem potentiam in conservatione eorum, qui fabricae incubuerunt demonstrare voluit. Nullus enim, licet varii variis periculis expositi, usque ad hodiernam diem mutilationem corporis, minus jacturam vitae passus.

Restat, ut de tecto Sacrarii, quod hac tempestate imponitur, lectorem instruamus. Id laminis plumbeis, quae modernorum illustriss. DD. Deputatorum munificentiam depraedicant, contegitur. Consumptum in eo ponderis . . . Fudit eadem lamina peritissimus flator aeris JoannesB pta. Franco.

Cum porro sacella ad summitatem deducerentur, nec non aliquali fornice inter se necterentur, finis cum fine Octobris operi imponitur. Julius pariter cum extra Basilicam Annunciatam et intus duas picturas majores ad latus altaris majoris perficeret, ad iter patriam Lainium repetiturus se disponit. Praevie autem quam id aggrediatur, tam de pictura neo-altari sacelli s. Dismae, argonizantium patroni, imponenda, oleo in patriis laribus imminente hieme coloranda, cum directore fabricae, ac de alia cum Abbate Hugone, Ord. Carthusiorum Valis Jocosae, altari majori ad Pentecostalia festa locandas adventum s. Spiritus figurante, convenit. Iter vero cum suo discipulo Carloni ac quatuor scolaribus, eum comitantibus 2. Novembris aggreditur.

CAPUT XV.

Acta anno MDCCIV.

Ab eo tempore, quo anno elapso finis fabricae impositus, usquedum denuo opus reassumeretur, non obstante hiemis rigore, Mars intensius quam hucusque cum annis ab exorto bello cum Gallo-Hispanis crescendo, fremebat, adeo, ut Labacenses parte una Bavarorum, parte altera Hungarorum tumultuantium pertimescebant irruptiones et caedes, quorum ultimi actu Styriae confinia praedabunda manu aggressi sunt, qui cum nostra regione confoederati opem iteratis vicibus implorabant, nec spe frustrati sunt. Dominia etenim assignatum numerum ex subditis sistere Labaci statuto tempore debuerunt, qui in unum collecti 600 capita formabant. Hi in arce Labacensi lustrati tribus belliducibus Wolfgango Alberto Schwabio, . . . L. Baroni de Leo et Vito L. B. Thauffrer consignantur, qui fidelitate adstricti in militaribus exercentur, donec ex his 400 selecti sub Schwabio et L. Barone de Leo Styris in auxilium missi sunt. Civitas, ut irruptioni resistere posset, incolas armis exercebat, portarum vigilias duplicabat et aperto oculo dormiebat. Clerus demum non solum preces ambulatorias, sed et solemnem processionem ad divinam opem implorandam e cathedrali Basilica ad Dei Matrem Virginem thaumaturgam, quae in aede s. Floriani plurimis miraculis clara colitur, instituit. Libet hic bina chronographica, quae insignis orator P. Fridericus Hoffsteter S. J. in concione ad populum dixit, subjungere:

Mater DoLorosa perICLItantI patrIae
arMIs LeopoLDI CaesarIs assIste.

Adfuit huic processioni celsissimus Princeps-Episcopus laudabili exemplo cum multitudine innumera comprecantium. His memoratis ferreis temporibus non perterritus animus Decani; recurrente vere, Deo auspice, 3. Martii denuo opus magno fervore aggreditur qua die datum operi initium in sarcophago sacratissimi Corporis Christi sacello perficiendo, quod Samerlius erga certum statutum pretium perficiendum assumpsit ac intra mensis spatium ad finem deduxit. Aegrotabat interim Paulus Jugoviz, murariorum Subpraefectus, vulgo „Polier“, senio confectus, ac 21. Martii diem clausit; de cuius morte vehementer dolebat Decanus, ob exactam eiusdem experientiam et industriam, cuius opere hactenus plurimum usus est.

Finito sarcophago gypsatores suum opus, videlicet capita composito ordine formanda, aggrediuntur, parva aut nulla satisfactione Directoris fabricae, qui adeo lente procedebant, ut omnibus intuentibus nauseam et indignationem pepererint.

De turri porro mature dejicienda deliberatum ac stabilitum, eandem, cuius prototypon c. 7. dedimus, dejiciendi ac huius vice binas substituendi. 6. itaque Aprilis e quatuor primariis pulpitis promulgatum sequenti tenore:

„Crastina die ac subsequenti biduo ultima vice hoc in veteri campanili cathedralis Ecclesiae vesperi post pulsum „Ave Maria“ integro quadrante pulsabitur. Campana major, in eodem, exigente ita novae fabricae proxime dejiciendo campanili, civitatis huius populo ac praefatae Ecclesiae in quotidianis occurrentiis, aliisque gravioribus necessitatibus, integris tribus saeculis, hoc anno terminatis, derservivit. Ut proinde eadem campana, aliaeque ad nova campanilia brevi in moderno bono statu transferri valeat, Celsitudo sua reverendissima Dominus Ordinarius noster gratiosissimus concedit omnibus christifidelibus, qui durante eiusdem cam-

panae praefato triduo pulsu unum „Pater“ ac „Ave Maria“ pro felici progressu fabricae, constructione novorum campanilium ac repositione saepedictae campanae, aliorumque ad nova campanilia, devote recitaverit, indulgentias quadraginta dierum in forma Ecclesiae consueta. In quorum fidem etc.“

Pulsatum proinde triduo, quo tempore nullus tam effrons visus, qui non ad praefixam mentem preces funderet, ut indulgentiarum episcopalium particeps fieri posset.

Ut demolitioni turris campanariae principium daretur 10. Aprilis conscendit eandem Matthaeus . . . faber lignarius, qui facto pontone pensili una cum Sebastiano Lagoia, suo magistro, crucem Hispan. deposuit; dein tectum disjectum, campana vero major 18. dicti mensis Aprilis demissa incolumis, una cum reliquis minoribus, ac interim, donec novae turres aedificentur, ad latus Basilicae quod septentrionem respicit positae, quo postridie me contuli, ac inscriptiones gothico idiomate expressas, quae mihi in combinando magnum negotium facesserunt, punctatim descripsi, quae sic sonant:

SANCTA MARIA † SANCTI NICOLAI EPISC. † DOMINI † PRECIOSAE † ADESTIS † DOMINVS NOSTER IESUS REX IVD. NAZARENVS.

Et haec in circumferentia superna exstant, subtus vero legitur simili charactere:

HAEC EST DIES, QVAM FECIT DOMINVS. HODIE DEVS AFFLICTIONEM POPVLI SVI RESPEXIT ET REDEMPTIONEM MISIT. HODIE MORTEM SVAM TIMIDAM INTVLIT. TONITRVA FVGAVIT. HODIE DEVS HOMO.

Videamus modo, quales gerat effigies. Parte una cernitur s. Georgius, Patronus civitatis Labacensis cum subscriptione; „Cives Labacenses“. Anno 1404. Parte altera visitur beatissima Virgo cum subscriptione: „S. Maria ora pro nobis“.

Non procul inde reperitur draco cum aureo vellere, insigne Civitatis. Extat etiam Christus Salvator noster in cruce pendens, cum his characteribus:

ꟾT̄ꟾ X̄ T S

parte una Lorenz STEMEL, parte altera Ioannes STEMEL. An hi maecenates, aut fusores fuerint, aliorum calculo relinquimus.

Redeamus ad fabricam. Muratores 7. Aprilis denuo opus reassumunt, quibus in aerarii praefectum Joannes Baptista Schnediz, vir, in quo summa probitas, summum officium et observantia primatum obtinet, praeficitur; qui ob exactam eius industriam sempiternum decus nominis sui sibi constituit. Cum operi vix initium datum, abiit celsissimus Episcopus Ordinarius loci Goritiam ad installandum Comitem Casparum Cobenzel, neo-Capitaneum eiusdem Comitatus, ubi munus Comissarii caesarei magno cum decore subiit. Redux domum iter Salysburgum tum ad residentiam qua Canonicus, tum ad Canonici Comitis ab Harrach, qui ad Coadjutoris munus dicti Archiepiscopatus aspirabat, partes tuendi prosequitur, ubi tota aestate et pene autumno morabatur.

Julius Qualeus, e patria redux 24. Aprilis, binas secum attulit imagines, Pentecosten videlicet pro PP. Carthusianis in Freidniz, et S. Dismae ad usum Nobilis Academiae Unitorum, sub eiusdem Sancti invocatione collectae, quos Loinii in statu Mediolanensi, loco natali, hac hieme confecit. Primum tum opus aggreditur s. Zachariam extra Ecclesiam, quod intra quinque dies absolvit. Quo peracto ad

imaginem s. Joannis Bapt., Praecursoris Redemptoris nostri, perficiendam movet. Qua pariter absoluta 25. Maji processionem diebus Dominicis a Paschate usque ad festum s. Michaelis Archangeli cum quatuor Initiis et ss. Sacramento ab immemorabili tempore observari solitam, circa novam Basilicam omnium primo instituit Decanus, ac Sanctissimum deportavit. Cui solemni primae processioni Maria Anna, Principissa ab Auersberg, cum sua domicella filia, ac magno concursu utriusque sexus comprecantium adfuit, cujus tam pium opus ac laudabile facinus nulla delebit oblivio.

Biduo post reperti sunt in dejectione supramemoratae turris campanariae tres numi cum charactere gothico ac insigni regionis nostrae desuper signato; moneta haec fuit propria Provinciae, vulgo „Landtmünz", quae extra Patriam nullum valorem obtinuit, quod etiamnum in omnibus regionibus Italiae observari novimus. Optandum foret, ut denuo Primates Patriae quid tale introducere studerent ad commodum et bonum publicum promovendum, cum maxima nostrâ tempestate penuria sit monetae minutae.

Prima Junii, utpote die festo, cum Templum ab omni strepitu vacaret, Julius Qualeus sese eidem inclusit, ac speculo usus ad latus chori se effigiavit, ea arte, qua pollebat, ut in effigie vivus spirare videatur. Interrogatus, cur in hac ex quatuor imagi nibus majoribus sibi locum selegerit, respondit, se hac de causa eo posuisse, ubi egentibus panis distribuitur, cum et is sat bonam portionem a divo Nicolao Thaumaturgo, huius Basilicae Patrono, acquisiverit.

Accidit 27. dicti mensis memorabilis casus in constructione huius Basilicae, cum hora sexta matutina e pontone pensili aliquo in summitate Templi locato inopinate rupto lapsus murariorum unus (alter enim se mature salvavit) in secunda contignatione subtus intra duas trabes brachiis innixus haeserit, donec semivivus inde reportaretur. Cui ob evidens mortis periculum perterrito venae sectio adhibita, et triduo priori sanitati restituitur. Moles porro trabium ad infimum tectum, ubi caementum parabatur, delapsa, septem laboratores nutu oculi prosternit, absque eo quin minimus ex iis laesus fuerit. Quod stupendum miraculum nulli alteri, quam divo Nicolao, qui hos omnes et reliquos hactenus a tot evidentibus periculis incolumes servaverit ac salvaverit.

Aestas sicca ac serena opus specialiter hoc anno promovit, adeo ut 13. Julii actu initium tecto imponendo datum, quod spatio 6 septimanarum perfectum. Ob eandem siccitatem e contra frugibus nocivam, cum notabili tempore nulla pluvia visa fuerit, 26. Augusti ad templum s. Christophori, unius ex 14 in necessitatibus Patroni, vulgo „14 nothhelfer", solemnis processio instituta, et cum hoc comprecantes non exaudirentur, 2. Septembris altera ad Matrem Dolorosam Labacensem, post coeco restitutum visum miraculis claram, stabilita, ac maximo concursu habita optimo successu, cum Mater gratiarum nostros aridos et pene exustos campos sequenti die salutari et copiosa pluvia beaverit et refecerit.

Notandum hoc loco venit, quod Decanus ea de causa horologium solare eo locorum, ubi modo Sacristia visitur, a nepote suo Alexio Sigismundo Thalnitscher, utpote recenter absoluto philosopho ac mathematico poni et formari curaverit, ut vicinitati, cum sublato horologio magno commodo privaretur, aliqualiter interim consuleret. Inscriptio huic adnexa lectorem ultro humanae admonebit conditionis:

HORAE PARS FLVXIT TACITE, DVM CONSPICIS HORAM
TV QVOQVE FLVXISTI, QVI VELVT VMBRA FVGIS.

Vigesima secunda Septembris Julius pictor, postquam Capellam s. Dismae perfecerat, salam Comitis Weichardi Ferdinandi Barbo, generis splendore et animim agnitudine clari, perficiendam aggredi-

tur, quam spatio duorum mensium ad miraculum illustravit, ut ars ne magis, an inventoris ingenium triumphaverit, dubium reliquit.

Haec dum aguntur, alteram post nuperam ad Donawertham in imperio Romano contra Gallo-Bavaros ad Hochstet reportatam victoriam magno cum gaudio intelleximus, cum id 19. Augusti per specialem cursorem Vienna a Comite a Kauniz, utpote per suum Capellanum Ludovicum a Pivizhaim Principi nostro Capitaneo nunciatur. Respirarunt tandem anxii hucusque animi ab omni timore invasionis et irruptione inimicorum. Ut proinde Deo debitae gratiae redderentur, cantatum in Oratorio Corporis Christi 28. mensis Septembris „Te Deum", pontificante Decano in absentia celsissimi Ordinarii et gravissime decumbente Praeposito Joanne Baptista Preschern, viro sapientia, eloquentia ac eruditione facile principe, qui eodem die vesperi hora septima pie in Domino obdormivit non absque luctu universali, praesertim vero Academiae Operosorum Labacensium, qui decus suum ac gloriam, ceu praesidem intempestive extinctum dolebat. Proposuit is sibi dudum in neo-Basilica primam e suggestu ad populum dicere concionem, at Deus aliter disposuit et coelo maturum ad se avocavit. Meretur et is prosperam sui memoriam cum ope et consilio multum neo-fabricae profuerit.

Cum itaque, ut supra dictum, tempus faveret, laboratum, usque dum binae turres ad aequalitatem tecti deductae sunt; tum sub tecto usque ad 15. Novembris, donec 16 fornices, sacellorum et duorum chororum lateralium videlicet, perfecti sunt. Julius demum, postquam denuo statutum cum eo de pretio laboris futuri anni, iter suum in patriam cum suo scholari Carolo Carlini 25. dicti mensis aggreditur. Et haec de fabrica huius anni, pro cuius coronide addere libet, quod 30. Novembris, die festo s. Andreae, primus ex neo-Canonicis D. Franciscus Bernardus Fischer in Oratorio Corp. Christi solemnissime fuerit installatus, quem una cum suo maecenate seu fundatore D. a Kierchberg ac universo Capitulo Labacensi a prandiis tractavit saepedictus Decanus, qui summopere laetabatur, quod non solum molem Basilicae eius industria sub tectum deductam, sed una pariter ministrorum numerum, qui hanc condecorare poterunt, eius consilio augeri coram viderit.

CAPUT XVI.

Acta anno MDCCV.

Quintus annus fabricae palatior, ob binas memorabiles anno elapso ad Donawertham et Hochstet reportatas victorias, videlicet ob profligatos Bavaro-Gallos, ob Hungaros tumultuantes intra fines cohibitos, ob servatam Tyrolim, ob piratas Gallos mari Adriatico infecta re retrocedere coactos. Hi inquam prosperi successus calcar addiderunt Decano, ut operi coronidem imponere pari zelo, quo inceperat, conaretur. Mature proinde ac hiemis tempore meditabatur de necessariis, parabat media, et ne quidquam suo tempore opus retardare posset, prospexit de omnibus, quin ultimo anno fabricae eadem pari felicitate, qua incoepta, terminari possit. Materialia proinde, uti lateres coctiles pro laqueari navis Basilicae opportuno hiemis tempore advehuntur; quibus paratis 16. Martii denuo initium fabricae datum cum fabri tignarii primum lignis pro turribus campanariis requisitis aptandis admoventur. Hoc intra octiduum opere finito, trabes pro laqueari sustentando construunt, quod hac de causa praevie faciendum duxit Decanus, fabricae Director, ne cum Julius Qualeus pictor denuo redierit, a suo opere reassumendo tardetur.

Quandoquidem de tali Julio sermo incidit, placet hic id subjungere, quod in eius commendationem Labacensis quidam philosophus absolutus, artis pictoriae gnarus, ex Perusina universitate Labacum scripserat, prid. Id. Novem. ann. 1704. his formalibus, praemissis praemitendis:

„Cinianus Franceskini in pictura pater et Julii nostri Qualaei avus, qui primus in Italia esse dicitur et Carolo Morato anteponitur, supra quatuor portarum fastigia 8 angelos elegantissime efformavit.“ Paulo post subjungit: „Cum accurate considerarem, maxime picturas Franceskini, nunc primi Bononiae pictoris, easque cum Julii nostri combinarem, cui palmam darem dubius haerebam. Pro Franceskino mirabiles, alti et amoeni colores, vultium et vivae quasi carnis amoenitas, delineatio accuratissima perorabat; pro Julio e contra alia a discipulo inventa et magistro ignota quorundam colorum compositio, magnarum figurarum majestas, ingeniosa inventio et vel maxime rara in primo non visa dispositio. Si igitur uti saepius non male dixit Julius, primi mundi pictores non uni rei inhaerendo, eandemque laboriose expoliendo, sed per multa ingeniose inventa artificioseque disposita opera immortale sibi nomen effecerunt. Qualaeum Franceskino, discipulum magistro palmam praeripuisse dico“.

Aliud elogium dedit idem Romae existens litteris suis 17. Decembris ibidem Labaco transscriptis; „Si picturas Gavoli Romani cum Julii Qualaei conferam, nunc hic, nunc ille praevalere videtur. Uterque promptus velox, fertilis; in ideis Julius velocior, in inveniendo fertilior; uterque amoenus in colorando. — Gavoli, si omnia opera eius consideremus, praestantior, imo ita praestans, ut nihil mihi in omnibus Romanis operibus in hoc genere arriserit, praesertim in opere sub 4 tholi partibus s. Agnetis facto, quod tam raram habet dispositionem, vultuum et colorum amoenitatem, ut rarior desiderari vix queat. Julio saepe officit nimia celeritas, Gavolio relatio quaedam vultuum et nimis reflexi luminis usus. Haec de utroque solita mea in dicendo liberalitate adnotavi, cui haec non placent, suppeditet meliora, sententiam mutare parato.“

Redeamus, unde digressi sumus, ad fabricam. A 23. Martii usque ad 2. Aprilis textura lignorum ac trabium ad sustentandum laqueare majus navis Ecclesiae paratur, qua die laqueari ipso initium datum, et ultra medietatem opus 18., reliquum vero ultima dicti mensis absolutum. Gypsatores tres 16. Aprilis in Sacello Corp. Christi exornando lente operis initium dedere, donec cum iis conventum de prètio, non hebdomadatim, uti hactenus factum, sed de opere ipso universim elaborando. Quod tantum effecit, ut, quod pluribus annis non perfecissent, hoc ipso anno ad finem deduxerint, non solum integra die, sed et noctis adminiculo inter lumina strenuam operam navando. Hinc factum est, ut 12. Maji altare sacratissimi Corporis Christi, et quod reliquum Sacelli perficiendum erat, expoliverint ad 10. Junii usque.

Muratores ad parietes tam intra quam extra Templum coemento obducendas accinguntur, et pars eorum portum sacrario pro officialibus Capituli nec non conservatorio suppellectilis Congregationis sacratissimi Corporis Christi destinato imponendo, occupatur. Quae dum aguntur, celsissimus Episcopus Ordinarius, cum denuo spes affulgeret maxima affinem suum, Franciscum Antonium ex Comitibus ab Harrach, Episcopum Viennensem, ad Coadjutoris munus Archiepiscopatus Salysburgensis promovendi, iter suum Vienna Salysburgum 5. Maji aggreditur; quod, ut infra patebit, juxta vota cessit. Synodus interim, quae 26. Aprilis Oberburgii celebrari debuerat, ut Labaci sequenti anno in Neo-templo solemnius producatur conjunctis viribus, dilata fuit.

Hoc loco notandum venit, quando et qua occasione campana major, quae tot saeculis, ut suo loco diximus, cathedrali Ecclesiae servierat, tot tantaque beneficia praestitit, rupta sit. Accidit id 8. Junii circa crepusculum, dum triduo post funestissimum obitum Leopoldi Magni Caesaris omnibus campanis urbis Labacensis statuto tempore pulsaretur, non absque notabili dolore eorum, quorum inter-

est. Discerpta est, diceret hic quispiam, quod campana haec, quae tot funera planxit, hunc tam acerbum casum plangendo ultra ferre non potuerit, ac prae nimia tristitia animam egerit, nec non quem animo conceperat moestitiae sensum mundo testari voluerit. Cum proinde tanti funeris memores simus, liceat nobis, qualiter in communi Austriaci orbis luctu Labaci parentatum fuerat, fusius prosequi. Dicta octava Junii triduanis eiusdem funeralibus, ita adcurante reverendiss. Capitulo Labacensi in Oratorio cathedralis Basilicae initium datum. Positum erat in medio Oratorii ingens cenotaphium, senis praegrandibus auro illustribus, columnis, statuis et emblematibus decoratum, nec non multiplici luminum splendore conspicuum. Parietes pariter pullato vestiti colore suum testabantur dolorem. Litavit ad aras pro magnis Caesaris manibus . . . . . et funebrem orationem eleganti stylo dixit A. R. P. . . . . Helblinus S. J.

Qualiter pariter excellens Academia Philo-harmonica Labacensis maximo in terris Principi parentaverit, videamus. Selegit illa sibi pro hac funebri pompa templum Virginis Annunciatae A. R. P. P. Augustinianorum ac diem 20. Junii praefixit. Spectabatur ipsa die in medio templi statua ingens altitudinis 12 pedum deaurata, augustissimi nuper, nunc divi Caesaris, qui post assertam in oriente simul et occidente Romano imperio majestatem, inter ipsas belli adoreas victor ad superos translatus est. In pedestali bina legebantur chronographica: „DefVnCto MonarChae," et subtus: „trIstIs phILo†MonIa LabaCensIs Defert." Ecclesia universa obscura redita facibus et multiplici luminum flamma luculenta facta. Musica lugubris et exquisitissima inter comprecantium preces personabat. Verum ex his omnibus, cum ad „Dies irae" et illud „tuba mirum spargens sonum" ventum, maximum applausum meruit tuba, horribilem sonum edens; quod si audisses, tubam illam extremi judicii intonuisse crederes. Orationem dixit funebrem celebris concionator A. R. P. Philippus Hoffsteter e S. J.

Redeamus ad fabricam. Turri campanariae, quae forum respicit, ultima manus admota. Huius perficiendae 18. Maji initium datum ac usque ad 20. Julii inter continuas aeris mutationes et pluvias promota, quas ingens siccitas et aeris serenitas secuta, non obsque notabili jactura frugum terrae. Hinc ad obtinendas salutares pluvias binae processiones ex cathedrali Basilica: prima ad Virginem Thaumaturgam, Matrem Dolorosam, quae in aede s. Floriani colitur 23. Augusti, altera ultima dicti mensis ad s. Petri parochialem ecclesiam, imo ad Virginem pariter Dei Matrem, quae ibidem veneratur; quarum utraque pluvias impetrarunt sat proficuas. Inter has preces obiit 24. Augusti aeternum decus Labacensium et religionis seraphicae honos, P. Antonius Lazari, Ord. s. Francisci Reformatorum, fundator alter, pietate insignis, literis clarus et regularis observantiae zelotes eximius, sequenti die in capella s. Crucis annexae Ecclesiae Assumptae Virg. tumulatus.

21. Julii apici memoratae turris campanariae globus ingens cum cruce deaurata impositus, cuius nodo in medio crucis constituto sequens pergamena inscriptio una cum sacris reliquiis inserta:

† † †

AD LAVDEM SANCTISSIMAE TRINITATIS IESV CHRISTI DOMINI NOSTRI, EIVSQVE SANCTAE SINE LABE CONCEPTAE VIRGINIS MARIAE, OMNIVM SANCTORVM, AC PRAECIPVE S. NICOLAI EPISC. MYRENSIS, CATHEDRALIS HVIVS ECCLESIAE PATRONI HONOREM ET GLORIAM PERFECTA FVIT HVIVS TVRRIS CONSTRVCTIO. ANNO DOMINI M.DCC.V. DIE XV. IVLII. GVBERNANTE VNIVERSAM ECCLESIAM CLEMENTE XI. PONTIFICE MAXIMO, IMPERATORE AVGmo. IOSEPHO MAGNI LEOPOLDI FILIO, EPISCOPO LABACENSI CELSISSIMO AC REVERENDISSo. PRINCIPE DNO. FERDINANDO, EX COMITIBVS DE KUENBVRG etc., FABRICAE DIRECTORE IOANNE ANTONIO THALNITSCHER DE THALBERG, CATHED. EIVSDEM DECANO ET VICARIO GENERALI etc. CRVX HAEC VNA CUM GLOBO SUPER IMPOSITA FVIT, ET IN EADEM INCLVSAE SEQVENTES RELIQVIAE:

Crux vera caravacensis, diversa alia numismata benedicta, cera benedicta ab Innocentio XI. sanctae memoriae Papa, particula eiusdem birethi et subuculae, de malo aureo s. Thomae Aquin, de planeta S. Philippi Nerei, de cineribus et veste b. Pii V., de columna Christi, de velo b. Catharinae Bonon., de ligno rosarum, in quibus volutabatur s. Franciscus., de grota s. Michaelis Archangeli.

Quae omnia turrim hanc, imo totam dioecesim, ac praesentem districtum Labacensem ab omnibus tempestatibus, aliarumque adversitatum malis tueantur. Amen.

Sustentat tectum in sui medio elegantem pergulam, e qua latus per urbis viciniam prospectus. Haec natales suas 19. Septembris debet; apte me hercle huc posita, nec facile alibi talis hoc loco visa.

Restat modo, ut denuo videamus, quid murarii, quid Julius Qualaeus agat. Illi 22. Maji portam majorem in facie Ecclesiae, notabilis magnitudinis ex firmissimo marmore polito errigunt, cui marmori aureis literis incisa inscriptio imposita, quae accedentium auribus effatum illud, quod Jacob Israelitarum Patriarcha pronunciavit, ut venerabundi sacra limina accedant, repetit:

„Non est hic aliud, nisi domus Dei et porta coeli“.

Quo peracto scalas turris alterae campanariae aggrediuntur ac intra breve tempus perficiunt. Quibus pariter finitis ad pavimentum Chori capituli e duplici marmore nigro et albo conficiendum, nec non binas cryptas in Sacello s. Dismae ad usum nobilis Societatis Unitorum construendas applicantur. Quibus omnibus rite peractis operi huius anni finem imponunt. Julius e contra, licet opus illud magnum in laqueari navis hoc anno elaborare paraverat, a superveniente morbo, quartano enim corripitur, a fine suo abstrahitur, ac in aliud tempus differre cogitur. Abiit provinde 9. Octobris, horâ prima pomeridiana navim ascendens. Verum sicut accidens hoc omnes quos interest afflixerat, sic literae, quae, quod biduo abhinc a morbo liber factus sit, attulerant, plurimum recreaverant.

Finito universo huius anni opere 20. Novembris rediit ad residentiam suam Princeps-Episcopus Labacensis ab electione Coadjutoris 19. Octobris Salysburgi secuta. Longus forem, si omnia, quae in dicta electione peracta rememorarem; hoc unum in laudem dicti Principis-Episcopi nostri proferre sufficiat, quod parum abfuerit, quin non omnium votis in dictum munus suffectus fuisset.

CAPUT XVII.

Acta anno MDCCVI.

Ultimo, ceu sexto anno fabricae, Numinis singulari nutu seu coelitum cura patria inter saevientes bellorum turbines et cruentas totius pene Europae caedes et ruinas beatâ periter gaudet quiete, avitâ incolarum pietate comparatâ, de qua jure dici potest, quod hic pax alma domicilium suum fixerit, relictâ superum sede. Hoc opportuno proposito suo commodo innixus Decanus mature hiemis tempore de necessariis aestatis tempore profuturis praevidit.

Finitis festis paschalibus mitescente aura pronum tempus ad labores illucescebat. Opus proinde 7. Aprilis reassumptum, parte una turrium campanarum fabri lignarii, parte altera murarii, hi ut tectum stanno operiendum parent, illi, ut turrim ante annum coopertam coemento obducant ac exornent, tum fenestrae majori balvastras imponant.

Decima Aprilis appulit Julius Qualaeus a suo scolari Carlini, qui elapsâ hieme Venetiis delineationis studio academias frequentando incubuit, comitatus. Longe majus is iter fecit, ac majoribus sumptibus, Bononiam transeundo, ut utriusque, tam Germanorum quam Galorum exercitus ignominias et caedes delinearet. Reassumpsit is iconem anno elapso imperfectam, perficiendam; eiusdem scolaris Carlini e contra in turri, quae forum respicit, tria horologia depinxit 10 pedum altitudinis.

Die 22. Aprilis globus alter cupreus deauratus, magnae capacitatis, utpote 8 mensuras (vulgo mernigh) tritici capiens, dexteritate Lagoja, fabri lignarii, cum sociis impositus, cui sequentes sacrae reliquiae cum binis inscriptionibus reconditae. Quarum prima sic sonat:

DEO AVSPICE,
CVI HONOS ET GRATIARVM ACTIO IN SEMPITERNA SAECVLA,
ANNO A PARTV VIRGINIS CIϽ. IϽ. CC. VI. DIE VERO 22. APRILIS,
ALTERI HVIC TVRRI CAMPAN. NEOBASILICAE DIVO NICOLAO SACRAE,
GLOBVS IMPOSITVS, AC RELIQVIAE SEQVENTES INCLVSAE SVNT:

De ligno s. Crucis; de spina coronae Christi; de columna Christi; de agro sanguinis; ubi Christus fuit baptizatus; natatoria Siloë; de sepulchro ss. Innocent. ubi Christus praedixit judicium; de villa Betphage; ubi flevit super Jerusalem; de castello Emaus; ubi suscitavit Lazarum; de Porta aurea; ubi Christus fuit in oratione; ubi Apostoli fecerunt „Credo"; de lapide Bethaniae; ubi Christus transfiguratus est; ubi Christus jejunavit; de monte Tabor; ubi Christus fuit inventus; crux benedicta Caravacensis; pasta sanctarum reliquiarum; de cineribus et veste b. Pii V.; de planeta s. Philippi Nerei; de velo b. Catharinae Bonon.; Agnus Dei cum birethi particula s. M. Innocent. XI. Pont; de subucula eusdem; de malo aureo s. Thomae Aq.; de petra capelae, in qua apparuit s. Michael Archang.; de spinis rosarum s. Francisci Seraph.

Altera inscriptio huic annexa sic sonat:

VOTVM VOVENTIS.

Domine Deus noster respice ad orationem servi Tui, et ad preces eius. Audi orationem, quam repetit, cum Salomone rege servus Tuus nomine omnium incolarum urbis Labacensis hodie:

Ut sint oculi Tui aperti super domum hanc nocte ac die; ut exaudias deprecationem populi Tui, quodcunque oraverit in loco isto, et exaudies in loco habitaculi Tui in coelo, et cum exaudieris propitius eris; si agentes poenitentiam, et confitentes nomini Tuo venerint, et oraverint, et deprecati fuerint in domo hac: exaudi in coelo, et dimitte peccata populi Tui. Si qualiscunque plaga afflixerit eos propter peccata eorum, et orantes in loco isto poenitentiam egerint nomini Tuo, et a peccatis suis conversi fuerint propter afflictionem suam, Tu exaudies eos in coelo, et propitiaberis, et facies, ut des unicuique secundum omnes vias suas, ut timeant Te cunctis diebus, quibus vivunt super faciem terrae, quam dedisti patribus nostris. Insuper, et alienigena, cum venerit de terra longinqua propter nomen Tuum, et oraverit in loco isto: Tu exaudies, et facies omnia, pro quibus invocaverit Te alienigena, ut discant universi populi Tui timere nomen Tuum. Benedictus Dominus,

qui dedit requiem inter tot dira bella nobis, et exemit nos ab omni plaga, et calamitate magna. Sit Dominus noster nobiscum, sicut fuit cum patribus nostris, non derelinquens nos, neque projiciens, sed inclinet corda nostra ad Se, ut ambulemus in universis viis Eius, et custodiamus mandata Ejus et ceremonias Eius et iudicia, quaecunque mandaverit patribus nostris. Sit quoque cor nostrum perfectum cum Domino Deo nostro, ut ambulemus in decretis Eius, et custodiamus mandata Eius sicut et hodie.

Duodecima Maji apposita fuit pergula ferrea alteri turri campanariae, quae septentrionem respicit. Decima quinta Maji, hora nona matutina, fusa fuit campana honori Providentiae Divinae dedicata a Casparo Franco, fusore Labacensi, in praesentia plurimorum DD. Canonicorum, nec non aliarum altioris conditionis personarum, ponderis 37 cent. Ad hanc campanam, quae in funere Leopoldi Caesaris fuerat disrupta, laudabili zelo et raro exemplo tam intra, quam extra urbem Labacensem collegerunt D. Canonicus Andreas Clementschisch, cui adjunctus erat e civibus Jacobus Herndle, mercator. Inscriptiones autem sequentes ei sunt impositae:

NON EST ALIVS DEVS, QVAM TV,
CVI CVRA EST DE OMNIBVS. Sap. 12.

Reaedificata a fundamentis Basilica, Anno MDCCVI, me ante CCC. annos conflatam, dein in funere Magni Leopoldi Caesaris vitiatam, in honorem Divinae Providentiae incolis beneficis aediles templi Cathedralis restaurandam curarunt.

Paululum sublimius leguntur sequentia carmina ab academico quodam Operoso Labacensi cantata:

Magnum laudo Deum, tempus quoque dissipo saevum,
Cum maestis plango, cum laetis jubila pango;
Sabbata sacra cano, quae pestis noxia sano.

27. Maji, albo utpote calculo notanda dies, cum eadem exoptatissima nova de liberatione Barcelonae, urbis principalis Cataloniae, nobis innotuerint. Fuit illa dies notabilis. Cum rex Carolus Hispaniae, Austriacus, a duca Andegovensi, alias rege Hispaniae habito, obsideretur ab Hispano-Gallis, venere illi in auxilium Anglo-Hollandi magno navium apparatu duce Lake, a cuius eventu summa rerum dependebat. Illa proinde die, hora 9. matutina, dicta campana a celsiss. Ordinario solemni ritu benedicta, peractaque functione turri, quae forum spectat, imposita fuit, opere et sudore nautarum Labacensium, qui ad contestandum eorum zelum erga Patronum eorum, ad hoc munus sese ultro obtulere. Hanc comitatae sunt tres reliquae minores, dictae turri pariter locatae. Sequenti die festo ss. Trinitatis, praeviâ factâ denunciatione, vesperi post pulsum „Ave Maria“ integro quadrante memorata campana pulsabatur, nec non duobus secuturis diebus. Qui intra huius pulsum „Pater“ et „Ave“ dixerat, 40 dierum indulgentias ex indultu celsissimi Ordinarii obtinuit.

Hac functione peracta abiit celsiss. Praesul Oberburgum 9. Junii, ubi integra aestate morabatur. Interim fervide tam intra quam extra Ecclesiam promovetur opus. Foris murarii parietes coemento obducunt, intus novus gypsator Joannes Christoph. Lendt, natione Berlin-Brandeburg., in sumitate laquearis, arae majoris obversus, 14. Junii genios defluos, Basilicae horologium ostentantes, horae fluxum nosse petentibus formandos aggreditur. Haec dum fiunt, horologii artifex Joannes Michael Krieger, Berlin-Brandeburgensis natione, gravi infirmitate corripitur, vix non ad extremum vitae redactus.

Omnium vota horologii fluxum tandem conspiciendi non absque tedio tardavit usque ad 30. Julii, qua die primum fluere coepit, postquam praevie septem tabulas horologiorum Carolus Carlini, discipulus Julii, depinxerat, e quibus sex cum duplici sphaera, hinc unum opus raro artificio universim tredecim sphaeras rotat.

Hoc loco notandum venit, quod 27. Junii et 4. Julii ob notabilissimas a nostris reportatas victorias in Oratorio Corp. Christi finito summo officio, a reverendiss. D. Praeposito Labacensi inter solemnem musicam decantato, „Hymnus Ambrosianus", ad debitas grates summo Deo referendas, inter buccinarum clangorem et repetita ab Arce et urbe tonitrua et civium armatorum explosiones, reiteratus; prima die ob Barcelonam Cataloniae ab arcta obsidione Ducis Andegovensis solutam, strenue urbem defendente augusto rege Carolo, altera die ob celeberrimam in Belgia ab invicto heroe Duce Maleborugio contra Gallo-Bavaros reportatam campestrem victoriam.

19. Julii, dejectis trabibus et remotis ligneis fulcris, comparuit laqueare navis eleganti penicillo Julii, de quo suo loco fusius, animatum, quod conteplandum tota civitas, curiositate liberali homine digna, ducta confluxit. Haec dum aguntur, obiit 22. dicti mensis magno omnium luctu celsissimus D. D. Ferdinandus, dux Silesiae, Munsterbergae et Frankenstain, Princeps ab Auersberg, postquam 10 diebus decubuerat, apoplexia tactus, aetat. 51, absque haerede masculo, unica filia relicta, nupta Comiti Georgio Sigismundo ab Auersberg. Tertia die vesperi in Ecclesia B. M. Virg. Assumptae P. P. Francisc. Reform. Lab. tumulatus est. — Vigesima nona Julii Labaci celebratum Capitulum P. P. Capucinorum, in quo inter reliqua ventilatum ac indultum, ut eorum dominicalis Concionator in posterum in Neocathedrali diebus Dominicis sermonem dicat, hoc reservato, ut pariter liberum illis foret, eius loco ibidem alium substituendi, quod hac de re dilatum offertum.

Augusto mense adveniente omnium vota fervebant et comotus eo intenti, ut singula ad festivitatem 22. institutam rite parentur. Hinc mature indulgentiae plenariae, non ad octiduum, sed 15 dies, industriâ P. Preller e S. J. comparatae; novae vestes et sacra paramenta confecta; plurimi ad imminentem festivitatem invitati, arcus triumphales parati; omnes pene mechanici sollicite desudabant, ut quisque intra residuum breve tempus rem sibi assignatam perficeret. De quo speciali titulo fusius.

Die vigesima prima fusa fuit campana major, ponderis 64 centipondia, consecrata honori Sapientiae Divinae, cum sequentibus inscriptionibus:

DOMINVS SAPIENTIA FVNDAVIT TERRAM.	INITIVM SAPIENTIAE TIMOR DOMINI.

SOPHIAE VENERANDAE CAMPANA SACRA.

Infra:

Ipsa ego sum Sophiae Campana dicata Tonantis,
Auspicio Petri selecto fusa metallo,
Cuius grata canam nomen noctesque diesque;
Tum populi quaeram pretiosam jussa salutem.

Anno Domini M. DCC. VI., sedente in cathedra Petri Clemente XI., regnante Josepho primo Rom. Imp., gubernante sanctam Ecclesiam Labacensem Ferdinando ex Com. a Künburg etc. munificâ manu Illustriss. D. Petri Antonii Codelli de Fanenfeld, Provincialis Carnioliae et Carinthiae, fusa est haec campana. Subtus vero:

Casparus Franchi me fudit.

Septima Septembris ad Ecclesiam 5 paribus bovum et 30 circiter manualium opere adducta fuit, ibidemque, usque dum necessaria ad elevandum pararentur, usque ad 16. Octobris quievit, quâ die

industriâ . . . . vulgo „Kunstmaister“, Idriensis, 16 magnis funibus paratis, cum dies deficeret, sequenti die hora octava matutina feliciter turri imposita.

Julius Qualaeus, postquam opera omnia, de quibus suo loco fusius, cum applausu omnium intuentium 21. Aug. confecerat, 25. eiusdem Locopolim a D. Marco Oblak ad exornandam aliquam Capellam in Burgsthal postulatus, discessit. Murarii e contra finitâ festivitate oratoriis laquearia imponunt. Interim arcus triumphales, qui in tertiam septimanam steterant, dejiciuntur. Perfectis oratoriis sacrarium, quod septentrionem respicit, coemento abducitur ac expolitur, fenestris ferrea retia ad arcendas injurias aestivas imponuntur, ac sic operi universo Deo dante feliciter finis 29. Octobris imponitur.

CAPUT XVIII.

Acta sub Francisco Carolo Episcopo.

Durante hac fabrica et quidem quarto anno eiusdem vacante sede episcopali Labacensi per resignationem celsissimi Principis Ferdinandi, per legationem Caesaream ad aulam regis Portugaliae ad Archiepiscopatum Pragensem promoti, ac a summo Pontifice a vinculo, quo Ecclesiae Labac. innodebatur, soluti, a Sua Caes. Maj. Josepho I. Rom. Imp. Franciscus Carolus ex Comitibus de Kauniz, Aust. Vienn. Metropolit. Salysb. et Cathed. Passav. Canon., Praepositus Altetingensis, sacrae Ap. Rotae causarum Auditor 10. ann. nominatur ac annuente Rege Carolo Hisp. a summo Pontifice Clem. XI. confirmatur. 10. Sept. anno 1711. possessionem cepit, ut sequitur.

A reverendiss. Capitulo praevie habito consilio decretum, ut pro tenuitate temporis ad condecorandum hunc actum porticus et atrium Basilicae adornarentur, quod sic factum:

In ingressu Basilicae sequens prostabat inscriptio a geniis portata:

Post diuturna gentis nostrae vota
Desideratus omnium suspiriis
Ingredere
Divino instinctu a Pastore universali
Secundis alaudis
Tibi commissam sanctam Aemonensem
Basilicam,
ut in ea,
Ceu nova coelestium donorum regia,
Ubi Romana exultat religio,
Ac perpetuus supremae Numinis majestati
exhibetur honor,
Sacrorum dispendas munera,
Populos Tibi datos ames et serves.
Habe proinde diu feliciter, quae meruisti,
Princeps benignissime.
In tuo prospero regimine, fulcitur
nostra prosperitas,

Facies porro, quae meridiem respicit, insigne clypei gentilitii condecorabatur, cui superem-inebat symbolum eiusdem:

Ara gentilis, strue ardente rutilans, cum lemmate,
Nil charius pietate.

Selegit hoc sici Neo-Praesul, ut firmam regiminis sui basim stabiliret, asserens, nil ei in hac vita charius pietate, quae ipsi etiam vitae praestat. Non ignarus, omnia bona illis affluere, qui divinis obsequiis se totos devovent. Nec paveat Princeps, si faveat Deus; favere autem debet Deus, quamdiu Principis pietas Deo faveat. Regni basis pietas erga Deum est.

Adest huic genius Basilicae Metropoliticae cum voto:

„Longo tempore regnet ipse". Deut. 17, 20.

Nec procul inde augurium legendum se praebuit:

„Quaecunque facies, prosperabuntur". Psal. 1, 3.

Huic annexum vaticinium:

„Dominabitur potestate multa". Daniel 11, 43.

Hic, uti speratur, quod Ferdinandus incepit, ad optatum finem deducet, ex Episcopatu Lab. Archiepiscopatum foventibus Superis condet. Inscriptio lateralis:

Nymphaea
A Slavorum rege
Ob amnem vado forti animo
equo trajectum;
In avitae bellicae virtutis tesseram
Genti Tuae concessa,
Caesareo hodie favore,
Francisce Carole, efflorescit,
Dum sacra Aemonensium purpura
investiris,
Propria et majorum virtute
CIrCVMDatVs;
Ob in Romano Campidolio tot annis
Sapienter, fideliter
Pro Deo, Caesare et Patria
gesta,
Condignum defers praemium.

Parte aversa alia tabula hos referebat caracteres, ad gentilitium clypeum pariter alludens:

Rosa Gentilicia
Hortis Vaticanis plantata,
Ad Carniolae solum hodie translata,

In Labacensi sacro viridario
Amoena diffundat folia,
Donec tota erubescat,
cuius
Sub umbrae suaveolenti tegmine
Tutus quiescat Clerus, Populusque;
Rege felix, vive vita perenni
Duorum siderum
Josephi et Caroli
felice omine,
Ab illo exaltatus ad Principis
Antistitis munus,
Altero auspice firmatus,
Uterque Austriacus, Austriacum
Austriaco complexus
favore.

Die proinde 10. matutina finito choro RR. DD. Canonici Capitulares cum DD. Parochis et Clero aulam episcopalem adeunt, ad commitandum celsissimum Episcopum, qui pariter a Magistratu Labacensi humanissime susceptus et sub baldachino, quem quatuor Senatores portabant, comitante reliqua interioris et exterioris senatorum corona sanctam Basilicam ingreditur, cui obviam processit reverendiss. Praepositus Leopoldus S. R. I. Comes Cobenzel in pontificalibus usque ad limen Ecclesiae.

Ad summum altare cum venerat inter tubarum et tympanarum clangores, dato initio a reverendiss. D. Decano et Vic. Generali, bulla pontificia per Notarium officii lecta est. Sedens celsiss. Episcopus in sua stola obedientiam suscipit a DD. Capitularibus, Parochis et universo Clero. Quo peracto missam inter exquisitam musices harmoniam tubicinum et tympanarum clangores dixit D. Decanus; qua finita Neo-Praesul „Te Deum" intonavit. Benedictione demum omnibus data, pari solemnitate ad aulam se recepit, ubi pariter a celsiss. Principe J. Ant. Jos. ab Eggenberg et excell. Comite . . . Lanthieri in temporalibus installatus, Proceres patriae ac reverendiss. Capitulares lauto ac sumptuoso prandio excepit inter tormentorum fragores.

Vesperi utraque turris in signum festivalis laetitiae illuminata resplenduit et in Collegio Carolino in summitate eiusdem parte una tympanarum et tubicinum clangores, parte altera Academicorum philoharmonicorum exquisita instrumenta resonabant.

Ornamenta quae sub Francisco Carolo Basilicae accesserunt, non parvam spirant ejus magnificentiam, inter quae quatuor ampla loculamenta, quae in totidem pilis maximo emispherio suppositis architectus incrustavit, quibus ingentes statuae lapideae impositae, artifici scalpro insignis sculptoris Angeli de Putis, Itali Paduani, efformatae, sub quorum inscriptio:

1. S. Maximus Epis. Aemon.

Huius Basilicae et urbis Patronus, Patriae Apostolus. Regimine magnus, virtute constantiae major, sanctimonia maximus, Apesiae pro fide lapidibus obrutus, martyrii coronam nanciscitur.
Praef. An. 240. obiit 252.

2. S. Florus Epis. Aemon.

Doctrina non minus quam sanctitate, et miraculis hos illustravit, cui Patria reddit in acceptis fidem, quam propagavit. Praesul, cuius sacras exuvias veneratur Pola, ubi in apostolico munere occubuit.

Praef. 382. ob. 397.

3. B. Castus Episc. Aemon.

Successor Maximi in pastorali munere, virtute et constantia fidei, per quem hic populus eruditus, clarus. In Romanis synodis a Damaso Papa adscitus, cuius meritum digno signatur nomine Casti.

Praef. An. 349. ob. 368.

4. B. Gennadius Epis. Aemon.

Gregem Aemonensem furore Atilae dispersum pastorali cura congregat. Congregatum in lege Domini continet, apostolico zelo confirmat, sensimque mirum in modum adauget . . . Adfuit V. Romam. Synodo.

Praef. An. 485. ob. 504.

Anno 1712. nona Decembris excell. D. Franc. Anton. Comes ab Auersberg ex Creuz, S. C. M. Cons. Int. Mareschallus Carn., cathed. Basilicae divi Nicolai dono dedit lampadem argenteam, rara arte fabrefactam, ponderis 31. Marcharum et 8 Loth.

Anno 1714. tertia Maji in festo Invent. s. Crucis particula s. Crucis, quam. celsissimus Ep. Franciscus Carolus Roma apportaverat ac cathed. Basilicae dono dederat, publicae venerationi exponitur, tum ab ill. Leopoldo, Comite Cobenzel, Praep. Labacen. populo sumpto initio a Principibus ac suprema nobilitate ad infimum ad osculandum praebetur.

CAPUT XIX.

De picturis novae cathedralis Basilicae et aliis ornamentis.

Cum Julii Qualaei*), pictoris eminentissimi, veterum aemuli, eleganti penicilo ad miraculum prope tota Basilica resplendeat, ita ut quo diutius usurpetur oculis, eo magis prodigiosa amoenitate et colorum varietate fascinat intuentes, in quo naturae et artis foedus inspexeris: aequum est, ut speciali titulo ea, quae spatio quatuor annorum perfecerat, exponamus. Ordiamur ab illo, quod Julius omnium primo pinxerat, in fornice chori DD. Canonicorum. Repraesentatur hic augustissimus Imperator Fridericus III., fundator restaurati Episcopatus Labacensis, cui anno 1458, cum a vidua Ulrici, dolo ab Hungaris interempti comitis Cileae, et Joanne a Witowiz, Cileae obsideretur, S. Nicolaus, ut testantur manuscripta Provinciae, nocte in somno comparuit ac monuit, ut insidias vitaret, ac ad arcem se reciperet; paruit monito, insidias sibi structas evasit. Memor huius beneficii biennio abhinc elapso honori s. Nicolai Labaci Episcopatum fundat.

Subtus parte una exhibetur Fridericus Fundator throno insidens, a quo Sigismundus, ex illustrissima prosapia Comitum a Lamberg oriundus, qua primus Episcopus Labacensis fundationis instrumenta ac privilegia suscipit. Parte altera, qualiter idem a Pio Secundo, Pontifice maximo, confirma-

*) Julius Qualaeus, Lainus Comensis, status Mediolan., discipulus Marci Antonii Franceschini Bononiensis, nat. anno 1668. Parmae, Placentiae et Venetiis picturae studuit ad normam Corregii, Carazae et Tintoreti, pinxiit hic aet. 35.

tionem et exemptionem ab omni metropolitico jure obtinet. Quod supra fenestras vacat, angelis insignia Episcopalia portantibus, suppletur; bina vero latera fenestrae majoris parte unâ occupat Ardor Amoris Divini, partem alteram Zelus religionis.

Ornamentum principalis iconis, divi Nicolai, quod nobili sipario, ea arte confectum, ut impar sim id calamo meo exprimere. Flavi coloris id est, cuius laciniae eleganter exspatiatae a duobus angelis, minores non computando, staturam hominis excedentibus, sustentantur. Subtus duo elegantissima, pedestalis suis incumbunt symulacra hoc Religionis orthodoxae, illud Humilitatis speciem formans. Illud de superstitiosa haeresi, hoc de arroganti superbia triumphat.

Quatuor hanc divi Nicolai iconem stipant excellentes picturae, quae rariora et notabiliora ejus repraesentant miracula. Ordiamur has eo ordine, quo pictae fuêre, exponere, non quidem nostro, sed eleganti et exquisito stylo P. Petri Ribadeneira, ex cuius Flore Sanctorum has libavimus historias. Primam a sinistris introeunti sic idem author explicat:

,,Miserat Imperator Constantinus tres tribunos militares, Nepotianum scilicet, Ursum et Herpilionem cum copiis non paucis, quibus exorta rebellio in Phrygia comprimeretur. Appulsi hi fuerant tribuni ad oppidum urbi Myrensi subditum, ubi pro solenni suo milites eius oppidi incolas depraedati in se concitaverant arma eorum. Rescit id forte s. Nicolaus, moxque eo convolavit, aversurus mala, quae patrari poterant, si manus invicem conseruissent. Et fuit tanta praesentis eius auctoritas, ut utrinque positis armis conquiescerent, et cederent nutui s. Pontificis, qui comiter tres praedictos tribunos suos in aedes invitavit, invitatos humaniter suscepit, susceptosque omni genere officii sibi demeruit. Cumque ab illis intellexisset, urbi praefectum nomine Eustachium, pecunia corrumptum, tres honoratos omnino cives, eosque innocuos ad mortem damnasse, eamque ob causam cives omnes tristitia affici: sese vir sanctus repente proripuit, tresque tribunos illos, ut se commitari dignarentur, oravit. Porro cum didicisset miseros illos ad locum supplicio destinatum ductos, et jamjam ictum carnificis excepturos, eo convolavit, ubi tres illos cives manibus colligatis, oculisque obligatis, genuflexos et carnificem sublato ferro jam jamque percussurum, populum quoque innumerum suspirantem feroque huic spectaculo illacrimantem invenit. Improvisus hic s. Nicolaus affuit, suaque praesentia carnificem terruit, et ei gladium manibus extorsit, innocuos errexit, errectisque vitam donavit, nemine quidquam adversus hiscere auso. Tanta fuit eius auctoritas, tanta ab omnibus illi reverentia deferebatur, quin et urbis praefectus ipse simul id quod evenerat intellexit, suaeque flagello conscientiae ictus et Imperatoris Constantini vindictam veritus, si facinus forte rescisset, pedibus eius advolutus, delicti veniam poposcit, enixeque rogavit, ne quidquam significaret Imperatori, deinceps pollicitus emendationem."

Videamus modo qualiter paulo post alterae huic annexae imaginis historiam prosequatur. „Divulgatum (ait) passim fuit hoc miraculum, mireque fama sanctitatis et reverentia erga virum sanctum crevit; unde quisquis affligi vel periclitari se sentiebat, eum invocabat, opemque referebat. Inter eos fuerunt nautae adeo horribili tempestate jactati, ut nullam vitae spem superesse crederent. Cumque quid consilii capesserent, ambigerent, denique ad sacram refugientes anchoram Deum rogarunt, ut se liberaret patrocinio s. Nicolai, qui mox eis apparuit, dixitque: „Ecce adsum, quem invocatis, opem, si sperabitis, allaturus. In Deo confidite, cuius ego minister adveni." Nec mora, clavo cunctis aspectantibus arrepto, navim servavit, tumidumque aequor placavit, atque hoc miraculum vectores omnes stupore defixit, qui subito Myram profecti sunt, actum s. Pontifici grates pro tanto beneficio in se collato. Quem cum in choro divina officia concinentem reperissent, pedibus eius advoluti, coram om-

nibus miraculum recensuerunt. At s. Nicolaus ingenuo rubore suffusus: „Date (inquit) Deo gloriam filii, ego peccator sum et servus inutilis.“

Tertium miraculum, quod parte altera visitur, sic explicat: „Sed inter alia prodigia de s. Nicolao relata, quae post eius obitum patrata sunt, unum maxime eminet et est, quod nunc subjicio. Ibant aliquando multi peregrini navigio visitatum s. Nicolai tumulum, et diabolus, illo magnifico Dianae templo (quod evertisse s. virum supra diximus) ejectus, vindices ex peregrinis viro sancto devotis poenas capturus, cum non posset Sanctum ipsum laedere, vultus induit mulieris, grande vas oleo plenum ferentis, peregrinosque alloquens ait, non ignorare se, quod ad s. Nicolaum peregrinarentur. Addidit porro se quoque libenter comitem eis fore, nisi ventriculi doloribus impediretur; sed cum sibi per eos dolores peregrinari non liceret, oravit, ut id oleum saltem susciperent et in lampadibus ad viri sancti tumulum suspensis arsurum suo nomine offerrent. Peregrini vas illud olei plenum suscepere, rati eum, quocum loquerentur, esse foeminam et quidem valde Sancto devotam. Suborta fuit eis altero die gravis omnino tempestas, et reverti volentibus apparuit s. Nicolaus venerandi specie senis auctuaria vecti jubentisque, ut in mare dejicerent olei vas, quod illis obtulisset cacodaemon ora mulieris indutus; sic enim prospere navigaturos. Paruere vectores et ex qua parte dejectum fuit oleum, terribilis exarsit in mari flamma, foetore tetro adeo mista, nihil ut nisi Stygem redoleret.“

De quarto idem author sequentia promit: „Tanta Deus Lyciam annonae caritate afflixerat, ut passim mortales fame perirent. Cui necessitati, quo consuleret, non suppetebant viro sancto granaria nisi preces, firmaque in Deum fiducia. Sub idem tempus, quidam mercator in Sicilia frumento navigium oneraverat, id in Hispaniam venditurus. Cumque jam portu soluturus esset, apparuit illi secundum nocturnam quietem s. Nicolaus, frumentumque ad Myram Lyciae urbem jussit deportari, quod illic care venditurus, magnas inde referre divitias posset; quod ut crederet haud esse vanum, tribus aureis eius dextram implevit. Expergefactus mercator, ut aurum in manu cubileque conclusum vidit, divinum fuisse visum credidit. Quamobrem tensis repente carbasis, quo Deus vocabat, velificatus, et prosperis ventorum flatibus provectus, Myram pervenit, ubi care frumentum vendidit, admodum exhilaratus lucro, sed populus etiam magis frumento, modoque, quo fuerat a Deo suffragantibus sui sancti Pastoris meritis adjutus. Hucusque Ribadeneira, fol. 638.

Quibus ornamentis tholus Basilicae interim sit obductus (expectat enim hic pios et liberales maecenates, qui in magni Nicolai obsequium largam stipem tribuant, quibus ultima manus huic magnifico operi imponatur, quod demum omni decore exornatum futura demiretur posteritas), modo videamus. Eleganti hic arte nitet, qua tum urbis Labacensis, tum inclyti Ducatus Carnioliae repraesentantur tutelares. Primo loco eminet Deus triunus cum intemerata Virgine, maxima Labaci tutelari. Proximum subtus locum occupat primarius Urbis et totius Dioecesis Patronus divus Nicolaus, Episc. Myren. Huius latera stipant magni indigetes hinc: Maximus Episc. Aemonensis et Pelagius civis Labacensis, inde Hermagoras et Fortunatus, a quibus lumen verae fidei hausit. Non procul inde cernitur s. Achatius, post memorandam anno 1593. contra Turcas ad Sisegk eius patrocinio felicem reportatam victoriam Carnioliae Patronus. Porro inde spectatur gloriosus Martyr Georgius, Arcis et Urbis Patronus secundarius; hic s. Vitalis cum s. Varia, quorum sacra corpora in hac cathedrali Basilica requiescunt. Duo demum genii Carnioliae et urbis Labacensis gentilitiis coloribus vestiti, quibus angeli tutelares adstant jugi litatione pro aris et phocis perorant. Triangularibus vero spatiis, quae tholum inter et majores arcus subjectos leviter inflectuntur, quatuor insunt Evangelistae, octo angelis adjectis, a quibus obsequiosa Patronis suis officia suavi gestu praestolantur.

Lustremus modo dextrum Basilicae brachium, boream versus porrectum, in quo altare sacratiss. Corporis Christi. In vertice fornicis spectatur Fides, subtus vero ad latera majoris fenestrae binae eius sorores, virtutes videlicet cardinales, Spes et Charitas.

In utroque pariete arcuato exhibentur memorabiles historiae augustissimae Domus Austriacae, cultui huic sacro Mysterio addictissimae, magni Rudolphi Imperatoris et Maximiliani, quorum primus de gente Habsburgica domum hanc reddidit augustam et pietate fundavit, cum Deum veneraturus ex equo descendit, ut thronum ascenderet Occidentis, nunquam venatus felicius, quam dum angelici Panis esca aquilam cepit augustam. Equum donavit sacerdoti, pro quo a remuneratore omnium recepit imperium. Adoravit sub rotundo pane Deum Eucharisticum, quem paulo post orbis Dominum coluit terrae circulus; exemplo futurus posteris, ut noscant, fundamentum reipublicae esse veram religionem.

E regione huius posita imago nobis repraesentat Maximilianum Imperatorem, qui non procul ab Oeniponte in primo juventae flore nimio venandi studio abreptus usque adeo rupicapras insectatur, ut nec ulterius progredi, nec pedem efferre potuerit, nisi in praecipitium. Altera die, cum pius princeps, desperata in terris salute, coelestem opem imploraret, magna voce ad suos aulicos inferius suspirantes inclamat, jubetque venerabile Dominici Corporis Sacramentum adferri, quo eminus adorato, cum ardenti affectu erga Deum aestuaret ac coelestibus contemplationibus unice vacaret, a propinquo strepitu avocatus, ignotum quendam juvenem intuetur, per tesqua et nivia ad se adrepere et remotis lapidum obicibus semitam explanare. Porrectae itaque ab eo dextrae innixus ad patentiorem viam incolumis descendit. Expertus hic Princeps est, quam sapienter spei anchoram in hoc sacratissimo Mysterio firmaverit.

Revertamur ad aliud crucis brachium meridiem versus, divo Dismae, agonizantium Patrono sacrum. Sacellum hoc jugiter peccatores ad salubrem poenitentiam invitat. A sinistris fenestrae majoris spectatur Poenitentia vultu macilento, habitu horrido, virgis et cilicio instructa, crucem animo contrito amplectens. Parte alterá finalis Gratia, spetioso habitu et gratioso vultu coelum, quo tendit, respiciens

In pariete arcuato parte una cernitur Fuga in Egyptum, qualiter Deipara cum dilectissimo Neonato ac nutritio divo Josepho post apparitionem Angeli monentis, ut sese in Egyptum reciperent, in itinere suscepto in manus latronum inciderit, e quorum numero Dismas, gratioso vultu Jesuli, qui divinum quid spirabat, captivatus, suasor erat, ut socii scelestas manus cohiberent et hanc sacram familiam intactam relinquerent. — Ita Petrus Damianus, Dionysius Carthusianus et alii.

Parte altera Dismas suum detestatus facinus, merito cruciari immerito Christum asserit, malum in aerumnis corrigens socium Deum dilexit, hinc flamine baptizatur et sanguine; dum pro salute sua brevibus sed efficacibus verbis perorat: „Memento meì Domine dum veneris in regnum tuum", a summo Sacerdote absolvitur, cum audierat: „Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradyso". Tres ille actus: fidei, spei et charitatis una elicuit, ac sic felix in occasu invenit ortum, aeternum futurus agonyzantium Patronus.

In summitate arcus spectatur s. Dysmas ad sibi promissum Paradysum et coelestem gloriam deduci et ingredi per ostium Christi, qui veritas est et vita.

Inter duas minores fenestras cernitur scutum, seu insigne Nobilis Societatis Unitorum, sub invocatione huius s. Dismae, agonyzantium Patroni, in quo 26 corda rubent inter binas cornu copias, quo innuitur fructus, qui ab hac confoederatione laudabili reportatur.

Subtus duo stant symulacra, Petrus et Magdalena, poenitentes ambo de commissis suis peccatis. Ille viros, haec foeminas suo exemplo invitat ad poenitentiam mature arripiendam.

E regione huius in Sacello sacratissimi Corporis Christi, quo denuo migremus, Julius exhibuit in summitate arae insigne Archiconfraternitatis. Cor Christi, quinque vulneribus saucium, corona spinea tectum, cui calix Domini incumbit cum inscriptione: „Pignus Amoris“, subtus „Securi“; quo denotatur, quod huic almae Sodalitati adscripti pignus futurae felicis aeternitatis capiant, quo illius securi olim reddentur. Subtus bina pariter prostant symulacra ss. Simeonis et Judae Apostolorum, qua huic Mysterio summe addicti, cum in terris degerent, verum Deum sub specie panis latentem jugiter praedicantes; hic lunae, alter solis idola prosternebant. Accessit et illud motivum, cum annue a dicta Confraternitate festiva solemnitate ad hanc aram colantur.

Supra quatuor loculamenta, quae, in pilis maximo hemispherio suppositis, vacua cernuntur, incumbunt scuta seu insignia Pii secundi, Pontificis, alias Aeneae Silvii, et Friderici III. Rom. Imperatoris; huius qua fundatoris, illius qua confirmatoris neo restaurati Episcopatus Labacensis; parte aversa Sigismundi Christophori ex Comitibus ab Herberstain et Ferdinandi ex Comitibus a Küenburg, sub quorum regimine hoc opus propagatum fuit. Subtus adumbratae quatuor virtutes cardinales: Justitia, solio assidens, regali corona et sceptro adornata, sententiam prodens. — Fortitudo, ense armata et scuto defensa, addita epigraphe: „His Frugibus.“ — Prudentia, dextra serpentem, sinistra calvariam gestans, philosophantis seu vitae finem meditantis instar. — Temperantia, cuius capiti testudo incumbit, dextra frenum, sinistra corbulum stamineum tenens, quae servata mensura appetitus moderare novit, cum lemmate: „Virtus instrumentum.“

Laqueare navis artem omnem, ingenium, pompam et pretium excedit. Exhibet ibidem Julius trophaeum s. Crucis, quod divus Nicolaus Martyribus in praemium gloriosae luctae ostentat. Novimus ex Ribadineira fol. 637, quod hic sanctus episcopus et pastor, nec non defensor suae gregis, exorta imperante Diocletiano et Maximiano, utroque immani hoste Ecclesiae orthodoxae, gravissima tempestate, quae urbem quoque Myrensem inundaverat, ubi multi christianorum passi, multoque plures naufragium fecissent, ni sanctus Nicolaus, qua expertus nauclerus gubernaculum rexisset, suaque sanctitate ac prudentia sustentasset vacillantem reipublicae navim, tot tamque diris procellis oppugnatam. Ipse magnanimi ducis instar inimicis obviam prodibat, ipse pusillanimes animabat, ipse desolatos consolabatur, omneque martyrium exhortabatur. Ipse multos nutantes ne laberentur tenebat, ipse jam lapsos erigebat, eosque verbis exemplisque corroborabat, ut alacriter pro Deo vitam cum sanguine profunderent. Qua artis peritia totam rei seriem expresserit, impar calamus est noster singula pro dignitate sua prosequi. Deum cruci affixum a reliquis saeculorum miraculum futurum singulari arte confecit, ut omnium intuentium oculos fallat, quasi in altum prostaret.

Subtus inter fenestrarum seriem mirabili arte confecti duodecim spectantur Apostoli sedentes. Supra in intercolumniis ipsi fenestris insidentes cernuntur coelites, quorum aliqui palmas, alii lilia, nonnulli aliud florum genus gestant. Trabibus flexuosis invicem coëuntibus incumbunt Virtutes vitiis capitalibus oppositae: Humilitas, Liberalitas, Castitas et reliquae.

Infra coronam inter parastatas juxta oratoria marmorum more adumbrantur sequentes virtutes: supra primo Sacello Vigilantia et Oratio, secundo: Amor Dei et Amor virtutis, tertio: Munditia cordis et Mansuetudo, quarto: Eleemosyna et Misericordia, quinto: Jejunium et Contemptus mundi, sexto: Dignitas et Discretio.

In facie interiori supra portam majorem ad latera fenestrae majoris, quae exeuntibus objicitur, parte una spirantibus coloribus expressit Wandalum, qui, postquam teste Ribadeneira loco citato,

aliis adjunctus ex Africa in Calabriam irruperat, ac in domo quadam christiani s. Nicolai Pontificis iconem repererat, secum tulit, nescius, quid esset. Ex Africa reversus, cuius esset icon, percontatus, audiit a christianis, iconem esse cuiusdam s. Episcopi Nicolai, cuius opera Deus multa miracula patraret, quique clientes sibi devotos multo favore prosequeretur. Hinc cum s. Nicolai iconem in suo gazophylacio deposuisset et cuiusdam negotii ergo peregre proficisci coactus esset, ad iconem viri sancti conversus ait: „O Nicolae, quando adeo potens es, meam mihi domum custodi et quidquid ea continetur." Barbaro suas aedes egresso, subiere fures, qui depraedati sunt eas, et ille redux, ut illas inanes sensit, iratus viro sancto, cepit eius iconem pugnis contundere ac verberibus, minarique flammas eidem, ni quae fuerant ablata protinus recuperaret.

Parte altera depinxit, qualiter sub idem tempus apparuit s. Nicolaus latronibus admodum praeda laetis, quibus serio imperavit, ut eam statim restituerent diras omnes minatus, ni protinus imperatis obtemperassent. Ergo statim fures praedam retulerant, et Wandalus rei novitate stupefactus, ad catholicam fidem conversus est cum conjuge familiaque, templumque in honorem s. Nicolai construxit, in quo sese mortuum voluit humari.

Subtus supra portam majorem ultimo apte eo locorum efformavit factis dignam historiam divi Sancti electionem in Archiepiscopum Myrensem. Cum ipse divino instinctu sub idem tempus, quo episcopi suffraganei, Myram, Lyciae metropolim, dignum hac urbe pontificem electuri convenerant, eo se reciperet. Cupiebant omnes electum fuisse officio quam maxime idoneum; precibus proinde instant, ut sibi divina bonitas ad hoc munus omnium dignissimum inspiraret. Orationi intentis revelavit Deus seni cuidam episcoporum, sanctoque viro, ut eligerent eum, qui sequenti die primus Ecclesiam ingressus, Nicolaus vocaretur. Quod divinum mox oraculum Episcopis, Cleroque indicavit, placuitque omnibus ita fieri. Quapropter cum vetuissent, ne quis Ecclesia exiret, omnes illic in precibus pernoctarent. Similliter Nicolaus pro more suo totam illam noctem Deum laudando contemplandoque exegit, divinique nescius consilii, sub aurorae ortum Templum petiit, cuius in limine Episcopus, cui divinum redditum fuit oraculum, expectabat. Quem cum ingredientem viderat, percontatus, quod ei esset nomen, audiit ab eo: „Peccator sum et servus inutilis, nomine Nicolaus." — Episcopus et vultum, morumque et verborum modestiam contemplatus, ut etiam nomen eius oraculo convenire sensit, Nicolaum manu prehensum ad reliquos duxit episcopos, qui subito eum laeti collectante populo Myrensem Episcopum consecrarunt.

Ne quid a nobis hoc loco omissum quaeratur posteritas, Sacrarium lustremus, cujus laqueare pariter Julius pretiosis suis coloribus decoravit; repraesentando Ozam, qualiter reducente David Arcam a domo Abinadab, cum ventum ad aream Nachon, ex eo quod extenderit manum ad Arcam Dei attigit et tenuit eam, a Domino ob temeritatem occisus et mortuus est juxta arcam Dei. (Reg. 2. 6.) — Una ex duabus vaccis, quae arcam ducebant, oculos multorum detinet, et in admirationem rapit, cum intuentes, in quemcunque Sacrarii angulum ii se receperint, sequatur.

CAPUT XX.

De benefactoribus cathedralis Ecclesiae.

Benefactores, quorum nomina dudum scripta sunt in coelis, notentur et in terris, hoc libro repositi; vivet eorum memoria in animis posterorum per omnia futura tempora, qui minimam opem ad construendum templum Dei praestiterunt.

Inclyti Status Carnioliae annuatim 500 fl.; Sigismundus Christophorus, Episc. Labacensis, restantias subditorum Oberburgensium; Ferdinandus ex comitibus de Künburg, Episcopus Labac., 1000 fl. et item 800 fl., in positione primi lapidis 100 aureos in specie; Joannes Bapt. Preschern, Praepositus Labacensis 500 fl.; Joannes Antonius Thalnitcher de Thalberg, Decanus Labac., 6000 fl.; Georgius Wettstain, Canonicus Labac., torquem aureum 300 fl.; Maximilianus Leopoldus Rasp, Plebanus Lithopolitanus, 500 fl.; Joannes Jacobus de et a Schelenburg 1500 fl.; Petrus Antonius Codelli a Fanenfeld . . . item pro campana 5000 fl. . . . . . .

CAPUT XXI.

De bibliotheca publica Nicolajena.

Pervenimus ad bibliothecam publicam Nicolejanam, bonarum artium studiis et doctorum hominum usui destinatam. Reperitur eadem actu, dum haec scribimus, supra Sacrarium Neo-Basilicae cathedralis, divo Nicolao sacrae, quae ibidem stabilem locum haud habebit, sed alium ampliorem locum expectat ob copiam voluminum et librorum quia eo liberali manu cultorum rei litterariae indies confluunt. Fundarunt eandem initio vergentis saeculi aevi illius Episcopus, Praepositus ac Decanus, ut constat ex instrumento, quod subjungimus, huius tenoris:

In Nomine DEI Amen.

Cum ea, quae in tempore geruntur, non raro eiusdem temporis successu memoriae humanae surripiantur, necesse est, ut acta hominum scripturae beneficio cautius aeternentur. Constet igitur praesentibus ac posteris praesens instrumentum visuris, quod Nos Sigismundus Christophorus, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Labacensis, Sac. Rom. Imperii Princeps ac Comes ab Herberstain et Joannes Baptista Preschern, Cathedralis Ecclesiae Labacensis Praepositus ac inclytae Provinciae Carnioliae p. t. Deputatus et Joannes Antonius Thalnitscher a Thalberg, Cathedralis Ecclesiae Decanus et alte memoratae Celsitudinis Suae Vicarius Generalis, ad augendum cultum divinum, animarum salutem ac profectum, singulari erga artes liberales propensione Bibliothecam publicam erigere, ac respective fundare statuerimus, obligantes nos hisce simul ac in solidum ad contribuendos omnes nostros libros, quos pro nunc possidemus, ac comparabimus, prouti eosdem praefatae a nobis fundatae publicae Bibliothecae praevia matura deliberatione harum serie donamus, et irrevocabiliter donatos declaramus juxta specificationes, quae a nobis subscriptae ad archivium Episcopale et Capitulare repositae fuerunt.

Libri praefato modo specificati observabuntur a modernis possessoribus, seu quibus ii eosdem durante vita sua, ac constructione loci (quem judicamus aptissimum futurum supra Sacristiam cum nova Cathedrali Ecclesia construendum) custodiendos concredent; post obitum vero eorundem, constructisque pro reponendis libris idoneis armariis omnes ad eandem mox transferri debebunt, ex quibus nullus unquam liber sub poena excommunicationis latae sententiae juxta affigendas ad limen portae patentes tam ab extradentibus, quam recipientibus etiam ad unicam horam incurrendae, commodari, seu ex Bibliotheca alio transferri poterit. Ut vero libri debito in ordine conserventur, ac litterarum amatoribus statis horis accessus ad eosdem pateat, necessario provideri debebit huic Bibliothecae de idonea persona, onera Bibliothecarii, ac pro iisdem congruam recognitionem receptura.

Hinc ego supramemoratus Episcopus confidens, quod tam mei praelibati confundatores, quam alii boni publici ac artium liberalium cultores, mox nominanda emolumenta pro manutenenda Bibliotheca, nec non stipendiando Bibliothecario de suo augmentaturi sint, Capitale florenorum duorum millium v. g. ad eundem finem pro fundando Bibliothecario de meis bonis destino ac deputo, ita, ut eiusdem Capitalis censum post mortem meam juxta in testamento meo contenta a me seu successoribus in Episcopatu meis nominandus Bibliothecarius perpetuo recipere valeat; e contra vero sit iste obligatus libros Bibliothecae debito in ordine repositos conservare, Bibliothecam singulis diebus ferialibus (excepta feria 5ta.), in aestate ab hora sexta matutina usque ad octavam, et in hieme ab hora nona usque ad undecimam; a prandiis vero tam in aestate quam in hieme ab hora secunda usque ad tertiam apertam tenere, et ne aliquod damnum inferatur, diligenter invigilare. Jus suscipiendi Bibliothecarium praefatorum duorum millium censum recepturum sit semper penes Episcopum Labacensem pro tempore futurum, ita tamen, ut sub poena nullitatis semper unum ex Officialibus sacerdotibus Ven. Capituli Labacensis seligere ac pro Bibliothecario determinare teneatur.

In quorum omnium ac singulorum fidem hoc instrumentum manu propria subscripsimus ac Sigillis nostris communivimus.

Labaci die 30. Maji Anno 1701.

Sigismundus Christ., Episcopus Labacensis.
Joannes Bapt. Prescheru, Praepositus.
Joannes Ant. Thalnitscher de Thalberg, Decanus.

CAPUT XXII.

De Collegio Carolino Nobilium tam Convictorum quam Alumnorum.

Restaurata funditus, uti hactenus dictum, Neo-Basilica, ut divini Numinis cultus non solum per fundationes et accessiones novorum Canonicatuum, sed pariter per errectionem novi adolescentum Alumnorum Collegii augeretur, in Synodo universali provinciali die 30. Augusti an. 1706 celebrata, ad instantiam D. Decani, omnium votis stabilitum et ann. 1707 facta est tam quoad sumptus necessarios, quam materialia dispositio a Decano Labacensi, qui omnem laborem patriae bono et saluti publicae ac Aemonensi gloriae impendit.

Initium proinde datum ad fabricam 9. Maii, ut patet ex sequentibus aeri incisis inscriptionibus, fundamento impositis:

„Anno Domini CIↃ. IↃ. CC. VIII. die 9. Maji, jacta fuere fundamenta huius Collegii Carolini Nobilium, Pietatis et Musarum Domicilii, ad M. D. G., Cathedralis Basilicae majus incrementum, Urbis ornamentum, Probae juventutis incitamentum, animorumque cultum, sub felicibus auspiciis Celsissimi Principis Ferdinandi Episcopi Labacensis et Coadjutoris Pragensis ex Comitibus a Kuenburg.“

Parte aversa:

„Vt juventus Christiana religione, et Liberalibus Disciplinis rite imbuatur, postquam Cathedralem Basilicam a fundamentis exstruxit, Io. Ant. Thal-

nitscher a Thalberg, ss. T. D., Cathed. Eccl. Labacen. Decanus et Vic. Generalis, amplum hoc Collegium Nobilium, seu Seminarium, a fundamentis excitavit, ac primores Lapides jecit. Anno 1708. 7. Id Maji.

Impositi fuere: Nummus Pontificis Clem. XI., aeneus, Josephi Imperatoris, Ferdinandi Episc. et tres alii argentei, Crux Cavavac., vasculum vitreum cum aqua s. Nicolai Ep. — Jactis vix primis fundamentis discessit Celsissimus Princeps Episc. 6. Julii Viennam ad comitandam regiam Sponsam in Portugaliam.

Libet modo fabricam ac situm eiusdem cum inscriptionibus delineare. Situm si omnium primo altius perpendas, vix ullum profecto in tota urbe Labacensi reperis salubriorem, amoeniorem ac commodiorem. Hic puri aeris, cum septentrionem respiciat, saluberrima temperies, ab hac, cum altitudine sua cis aquam prostantes domos superet, tot amoeni prospectus, tot agrorum lumina, tot colliculorum vireta et hortorum decora curioso oculo usurpantur, ut merito hic usurpari possit illud Horatii:

„Aureus hic annus, biferique rosaria pastus,
Huc propius adductum credas frondere Tarentum."

Lambit hoc aedificium, latus quod septentrionem respicit, Nauportus fluvius, quanta hinc commoda ipsi adstruat, facile conjecturandum, nam mille id senserat, cum exstrueretur. Quo quae ad victum necessaria levi pariter negotio sistuntur et asportantur, et voluptati vel quam maxime deservit. Latus, quod Basilicam respicit, aptum pro studiis, utpote a molesto vicinorum strepitu et clamoribus remotum.

Aedificium ipsum videamus. Surgit illud in tres contignationes, si infimam, quae dimidia sua parte terra tegitur, dempseris. Per trinas portas adventantibus patet, quarum media principalis majestate sua Athaeneum nobilitat, marmoreis gigantibus cornicem succollantibus pervia; genius loci in summitate locatus advenas de instituto edocet sequenti syngrapho:

VIRTVTI ET MVSIS.

Lateralis porta a dextris accessum praebet ad Bibliothecam publicam, a sinistris ad scholam primam elementarem legendi ac scribendi.

Prostant et aliae inscriptiones lapidariae veteres ac modernae, has, antequam in aedem ingredimur, videamus. Ex Romanis antiquis Coloniae Aemonae sic sonant:

1.

Oppalo Firmi f. Θ. An. L. Te CON. CAR. BVCONIS F.
Viva . . . CAL. Secundo Θ. An. XV. Seuero Anconii f. Θ. An. L.

2.

Suero Sacioris filius III. VXORI Filiae fecerunt.

3.

Seconi Na EMONS An. L. Θ An. XL. Te Rustco
Secconis F. Θ. An. XX. Te An. Benignus VI.

4.

Haue Haue
Natesia, et uale aeternum. Ti. C. Con. S. P. C.

5.

— L. Svel. Claud. Fec. sibi et L. L. P. Q. E.

Hae non solum, sed tot reliquae, quae tam in sacris quam profanis aedificiis per Urbem prostant, abunde testantur Veteris Aemonae, Coloniae Romanae, magnificentiam, quae hoc loco floruit.

Superficialiter lustrata facie, aedificium adeamus. In introitu prostat haec inscriptio:

,,Virtus et Sapientia nulli praeclusa est, omnibus patet.“ (Seneca.)

Parte altera: ,,Sicut initium aedium est janua, sic ad Virtutem primus aditus est Artium disciplina,“ — qua erudimur, quod omnibus virtutem et musas sectantibus ultro pateat.

Per scalam regiam deducimur ad primam contignationem, quam ornat sequens inscriptio:

,,Virtus gradus ad honores.“

Gestat haec Bibliothecam publicam, ad quam pariter per portam lateralem aditus patet, ad cuius latus Bibliothecarii hypocaustum locatum. Quo viso ad refectorium hybernum vergimur, hac inscriptione insignitum:

„Refocillationi non Luxui.“

„Lavacro non tam manum quam vitiorum sordes abluito culinae Mundae frugalitati. Cellario Liaej (?) nestore sobrie utitor.“

His obiter lustratis ad mediam cotignationem per scalam privatam vergimur, ubi refectorium aestivum ostendimus, ad cuius latus cubiculum . . . prostat. Non procul inde infirmaria . . . . Reliquus tractus cubiculis convictorum instructus est. In superiori tertia contignatione praeter Praefecti cubicula et reliqua, capella s. Caroli cernitur cum sequenti inscriptione:

D. O. M.
Divo Carolo Boromaeo
Collegii Carolini
Contubernales
Tutelari suo
Religiosi obsequii
Monumentum
Ponendum curarunt.

Inde vergimur ad dormitorium sequenti inscriptione munitum:

,,Virium restaurationi, non tepori.“

Latus huius, quod septentrionem respicit, occupat musaeum, e quo amoenissimus prospectus per agros et montium vireta, cum his notis:

,,Musarum domicilium
Sapientiae cultoribus sacrum,“

Alia in ingressu:

„Heic locus,
In quo Palladem, Themidem et Suadam
Colas,

Veni sapientia Alumnus,
Hae te virum Reipublicae bono
Profuturum formabunt."

CAPUT XXIII.

De solemni translatione ss. Corporis Christi nec non sanctorum Corporum s. Vitalis et s. Variae M. M.

Antequam ad ulteriora progrediamur, dicendum nobis restat de solenissima inductione sacratissimi Epuli Eucharistici in Neo-Basilicam et translatione sanctorum Lypsanorum. Operae pretium etenim merito videbatur venerabili episcopali officio hunc actum solemni et singulari celebritate posterorum memoriae commendare et quanta posset festivitate divinam Majestatem sub velo panis coelatam in dictam Neo-Basilicam commitari, nec non in eandem sanctorum corpora splendide inferre. Huic proinde inchoandae solemnitati dies designata Dominica quarta Augusti, tunc 22. mensis anni 1706, a qua ni 15 dies usque ad 5. Septembris erant producenda. Interea nihil omissum, quod vel ad devotionem, vel splendorem institutae celebritatis faceret. Impetrata a Summo Pontifice Clemente XI. plenissima peccatorum venia, quicunque intra solemnitatis 15 dies, tam ex Dioecesanis, quam Aquilejen. Dioeceseos sacrae exomologesi expiatus et Eucharistico Epulo refectus in cathedrali Ecclesia pias ad Deum preces pro Ecclesiae catholicae communi bono fudisset.

Neo-Basilicae parietes et pavimenta in decentem formam redacta, et tam intra quam extra concinne exculta, novae sacrae vestes pro DD. Canonicis, pro Alumnis, Ministrantibus ac Ministris seu aedituis Ecclesiae thunicae et rocheta, nec non pro portantibus vexilla mechanicorum neo habitus comparati eleganter concinnati et feretra adornata; praeterea Commissarii seu Decani rurales ac Parochi dioecesani e Carniolia, Styria et Carinthia per consistoriales litteras ad visitanda sacra Neo-Basilicae limina cum suis oviculis vocati. Complures Aquilejensis Dioeceseos, nec non mitrati Praesules per litteras ex secreta cancellaria expeditas invitati. Determinati ad gestanda sacra divorum Lypsana rurales Decani seu Commissarii et Parochi indicti quoque ac instituti per praecipua civitatis fora et compita triumphales arcus, qui, impigre fabricati (unum si excipias, qui ob brevitatem temporis perfici non poterat) pridie festivitatis quisque suo loco constitere, quas rudi calamo fusius adumbramus.

Arcus triumphalis Episcopatus et Capituli stabat non procul a domo Fabianitsch Foro obversus. Illius fabrica in binas contignationes surrexit. Porticus in tres arcus disceptabatur. In apice eminebat gloriosus Protopatronus divus Nicolaus, infra spectabatur parte una Fridericus III. Rom. Imp., parte altera Leonora Imp. augusta conjux, restauratores Episcopatus Labacen. cum inscriptione: „Gloriosa nomina vestra in saecula." Dan. 3. In superioris fabricae corona pingebatur Salomon ad latus Neo-Basilicae Labacen. prostratus, has preces effundens: „Si deprecati Te fuerint in loco isto dimitte peccata servis tuis. 2. Paral. 6." — Tum e nubibus prodibat effatum Dei ad Salomonem post aedificationem templi Hierosolymitani prolatum: „Si ambulaveris in praeceptis meis, habitabo in medio filiorum Israel, et non derelinquam populum meum Israel." Reg. 3. Cap. 6.

Hanc tabulam ornabat a dextris Religio cum inscriptione: „Uni fida Deo“, a sinistris Antiquitas, maxima praerogativa Episcopatus Labacen. cum epigraphe: „Stabit pietate perennis.“ In media porta ceteris elatiori legebantur haec verba:

„Deo Triuno,
Maximo, Immenso, Sempiterno.“

Mox in subjecto clypeo:

Magno Myrensium Praesuli,
Claro Barensium Sideri,
Primario Labacensium Patrono,
Divo Nicolao Archi-Episcopo
Ob eius nutu, auspiciis,
Patrocinio,
Sine ullo sinistro eventu,
Incoeptam, propagatam, consummatam
Neo-Basilicam cathedralem,
Gratitudinis ergo
Hanc portam triumphalem
D. D. D.
Episcopatus Labacensis.
Anno CIↃ.IↃ.CC.VI.

Symbola dextra laevaque cernebantur sequentia: Hedera arborea inter rigorem hiemis vegeta cum lemmate: „Nil florere vetat“, quo denotatur, durum tempus, quo aedificium Neo-Ecclesiae prosequebatur feliciter. Secundo Labyrinthus, e quo quispiam filo ariadneo educitur, cum lemmate: „Ducor ab alto“. Tertio flores aridi, pluvia refecti, cum lemmate: „Desuper auxilium“. Quarto. Vites uberes botris in vinea, cum lemmate: „Incrementum dat Deus“, quibus specialis divina assistentia in neofabrica promovenda exprimitur.

Ex adversa parte arcus triumphalis Episcopium versus in summitate repraesentabatur, s. Maximus pectoretenus hac cum adscriptione: „S. Maximus, Episcopus Aemon., a s. Hermagora institutae (Eccl.) ann. 254.“ — A dextris ponebatur effigies s. Florii, inscripta: „s. Florius, Praesul Aemonen., pro fide victima gloriosa anno 367. — A sinistris b. Gennadius, hoc epigraphe insignis: „B. Genadius Episc. Aemon., morum sanctitate et religone clarus, a. 504. — Medium arcus locum occupabant insignia Episcopatus et celsissimi Principis moderni Episcopi, quem circumdabant Pietas, Prudentia, Magnificentia Munificentia, addita epigraphe: „Venientque super Te universae benedictiones.“ Deut. 28, 2.; paulo post: „Et imperes pluribus.“ 2 Reg. — Subtus cernebantur quatuor fluvii, quousque protenditur ditio Episcopalis huic obsequia praestantes: Savus, Nauportus, Dravus, Saana, cum inscriptione: „Desideratus cunctis gentibus.“

Latera supra duas minores portas sustinebant quatuor insignia Episcoporum Labacens. emeritorum. Parte una Sigismundi Com. a Lamberg, primi Episcopi restitutae Ecclesiae cum inscriptione: „Sigismundo I. Ep. L. munificentia eximio, ob plurima beneficia Ecclesiae praestita“. 2. „Christophoro Episcopo magnanimo ob principis titulum successo-

ribus comparatum". 3. „Thomae 9. Ep. religione incomparabili, ob haeresim debellatam." 4. „Sigismundo pietate inclyto ob exactam praesulis normam."

In medio Fori novi inter palatia Comitum a Gallenberg et Com. a Kazenstain insignem inclyti Status Duc. Carnioliae erexere molem, quae pariter tripartita structura et triplici porticu ad majestatem eminebat, quos scansiles foliorum corymbi ambiebant. In huius apice aquila caerulea (insigne inclyti Ducatus Carn.) explicatis enituit alis. Medium arcus tenuit ingens tabula, qua in nubibus repraesentabatur divus Nicolaus Neo-Basilicam manibus gestans cum inscriptione:
„Domine Deus, sint oculi Tui aperti super Domum hanc die ac nocte." Reg. 3, 8.

Assistebant huic Patriae tutelares s. Achatius, Hermagoras et Fortunatus; infra genius Carnioliae ducali habitu conspicuus cum incorporatis Provinciis ingeniculatis: Marchia Slavoniae, Istria, Karstia etc. cum suis insignibus corda offerentibus cum inscriptione:

„ConfIrMet hoC DeVs."

Tabulas ex utroque latere implebant emblemata, a dextris sol oriens, qui exortu suo lunae et stellarum lumina diminuit; exortum versus vero Ecclesiae Sacrarium cum inscript.: „Lumine Lumina vincit". Ad pedes hi versus:

„Lumine cuncta suo, ceu vincit Lumina Phoebus,
Sic vincit Lumen, Lumine quodque suo."

A sinistris gallina in cuius sinum accurrunt pulli, cum lemmate: „Venit omnis ad unam." Subtus haec carmina:

„Magnificam Matrem Te filia suscipit omnis;
Te Matrem sequitur, filia quaeque suam."

Quo denotantur tot solemnes processiones tanquam ad matrem, ad Neo-Basilicam institutae.

Paulo infra ad latus dextrum scutum armis bellicis decoratum, ac in eo Neo-Cathedralis cernebatur, quam genius lauro coronat, adjuncto eidem ingenti trophaeo, infra quod Cuniculus et Victoria trophaeo coronam Hispanicam super imponens, cum lemmate „Sex opus Annorum". Ad calcem subscriptum distychon:

„Carolus et Nicolaus ovat sua quisque capessens,
Iste Domum, Is Regnum, quemque trophaea decent."

A sinistris Ecclesiae novae fabrica, ad cuius latus aquila pugnat cum gallo, lemmate subnexo: „Martis non impedit ira," adjuncto distycho:

„Annos hos ipsos numerat, quos fabrica, bellum
Ne numeret alios bella precare Deum."

Minora scuta hinc inde disposita pariter alludebant ad neofabricam. 1. Arx in nubibus spectabilis cum lemmate: „Naturam superat"; quo indicatur, quod Neo-Basilica praeter omnium spem et naturae captum tam duris temporibus speciali Dei providentia ad optatum finem deducta fuerit. 2. Manus circino describens circulum et sphaera astrologica, cum lemmate: „Labore et constantia." 3. Fabrica nova, ex cuius duabus turribus pendebat vellus aureum cum lemmate: „Sedes ubi Jasonis olim." 4. Nova Ecclesiae fabrica, a dextris sol cui a sinistris ipsius Ecclesiae luna

opponitur cum lemmate: „Supernis aemula ludit." 5. Frontispicium fabricae novae cuius summitati aquila insidebat caerulea, insigne Provinciae Carnioliae, tum e turribus bina prominebant vexilla ; pone haec verba: „Hinc Carnia victrix". 6. Eadem fabrica, super cuius frontispicio visebatur stans Tempus depictum, dextra clepsydram, sinistra falcem gestans cum lemmate: „Hinc saecula narra".

Adversa facies pari structura constabat, et portam majorem pensiles fasciae bombiceae auro contextae ornabant. In huius apice Fama explicatis alis buccinâ accinebat, velo Neo-Basilicam gestans: „Domus istius gloria nomenque manebit." — Media area complectebatur hanc dedicatoriam epigraphen:

„Regi saeculorum
Divis Tutelaribus,
Nicolao, Achatio, Hermagorae, Fortunato,
Protectoribus, Patriae Apostolis,
Ob tutelam fideliter habitam,
Fundatam, propagatam Religionem,
Ut jugi intercessione
Patriae Pacem inter dira bella potitam,
servent,
Aestimantes Principum animos
sedant,
Minaces Patriae motus
comprimant,
Publica voce precantur
Status Carnioliae."

Latus dextrum implebat insigne Ottonis Episcopi Lab. cum inscript. „Ottoni Comiti a Buechaim, Ep. Lab., ob allatum Româ corpus s. Vitalis M." — A sinistris cernebatur Ferdinandi Principis, additis his verbis: „Ferdinando ex comitibus de Küenburg, Ep. Lab., ob allatum corpus s. Variae M."

Reliqua symbola hinc inde dispersa videbantur. 1. Phoenix e tecto veteris Ecclesiae avolans ad fundamenta novae fabricae e regione positae cum lemm.: „Sic eadem, non eadem", subscripti versus:

O ter felicem Phoenicem, fessus ab annis,
Qui perit, ut noviter vivificandus ovet.

2. Rosa, sole producta; sensum aperuit lemma: „Florebo prospiciente Deo", additi versus:

Solis ad oxortum, veluti rosa verna virescit,
Sic ego florebo prospiciente Deo.

3. Campus viridis cum annexo horto floribus stipato cum lemmate: „Pura hic sine fele voluptas." — 4. Medio coelo Iris, pone hoc lemma: „Solis opus". Illo denotatur decor novae

Basilicae, ubi sine labe voluptas capi potest, hoc singulare Dei auxilium et providentia in promovendo hoc opere novo.

Arcus triumphalis Magistratus civici pone fontem Veteris fori. Conceptus hi sunt: In summitate sedet inclyta Aemona, Novi fori regionis vexillum dextra gestans, addita epigraphe: „Pietate perenno". — Tabula major s. Vitalis et s. Variae M. M. e nubibus magno splendore nitentes exhibet, subtus Religio fautricem suam Aemonam commedans, pro incolumitate illius perorat.

Princeps inscriptio in proximo campo majusculis litteris sensum aperit

D. O. M.
Divo Vitali Divae Variae,
Gloriosis Martyribus,
Suis exuviis triumphantibus
Tum Divis loci Praesidibus
Georgio, Maximo, Pelagio,
Quod Peste, Fame, Bello
Vicinas Regiones depopulante
Unam hanc Urbem
Tergeminis calamitatibus exemerint.
P. C. S. P: Q. L.

Utroque latere stantes sex ephebuli, sex saecula veteris et novi Episcopatus repraesentantes, plaudunt Neo-Basilicae illius aevi acta clypeo notata. Saeculum primum: Fide illustrata, viris sanctis dotata. Saeculum secundum: Inter turbines florida, Martyrio clara. Saeculum tertium: Hunorum rabie, Attilae crudelitate obscuratur Ecclesiae nitor, ut post saecula clarior effulgeat. Saeculum quartum: Munificentia Caesarum denuo exoritur sol Ecclesiae, ut sine fine splendeat. Saeculum quintum: Perfidi Judaei expulsi, haeresis debellata. Saeculum sextum: Magnis Praesulibus exornatur. D. Nicolai Domus augustior reditur, ss. Lypsanis beatur. Subtus Tempus ex angue annulum formans, perennitatis indicem.

Aversa theatralis machinae facies repraesentat Patronos civitatis ss. Georgium, Maximum, Pelagium; infra stant obsequioso gestu suis gentilitiis signis instructae tres Regiones urbis: Forum, vetus Forum et Forum novum, plaudentes Divis et reflorescenti Labaco.

Ad insigne Urbis subtus in peristylii tecto locatum subscriptum pentametrum:

„Cui Pietas cordi est, stet pietate diu."

Dextra laevaque Ephebuli cornu copiae gestantes primo aditu epigraphe: „Regni basis Pietas"; secundo: „Pia Aemona perennet."

Symbola concinno ordine hinc inde locata alludunt, qualiter potenti Divorum tutamine Urbs haec a tot imminentibus calamitatibus unica fuerit praeservata. 1. Inter tonitruantia fulmina Laurus, quae sola fulmine non icitur, teste Plinio cum lemm.: „Non tangitur una". 2. Oliva, cui diluvium soli pepercit cum lemm.: „Sola superstes." 3. Olor, qui ab unda non tingitur, cum lemm.: „Siccus in unda". 4. Pinus, quae inter reliquas arbores sola a ventis concussa frondes non ammittit, cum lem.: „Inconcussa manet."

Cunctis proinde ad triumphalem prompam rite comparatis die 22. orto sole benedixit ritu praescripto Neo-Basilicam D. Decanus. Tum peracto solito divino officio, ac sacra cantato, hora sep-

tima datum initium processioni in numerosissima comprecantium serie, ut sequitur, sumpto itinere per vetus Forum cis aquam supra pontem navilem, ad hoc pridie a nautis compactis 26 navibus paratum.

Principium fecit Clericus crucem portans inter duos Alumnos faces incensas portantes. Tum mechanicorum tribus, suis quaeque distinctae insignibus, quas sequebantur sodalitates. His succedebant religiosi coetus. Ibat deinceps Clerus post argenteam crucem inter duas faces ab Alumnis portatas in sacris vestibus. Sequebantur octo buccinae cum aeneo tympano, quos excepit cathedralium musicorum chorus. Sequebantur DD. Canonici singuli pluvialibus, ut solemus appellare, induti. Clausit totius deductionis ordinem celsissimus Ordinarius post pastoralem baculum, ab uno ex Capellanis praelatum, portans ss. Eucharistiam sub pretioso baldachino, cuius latera stipabant civium armatae turmae. Sequebantur: Principes ac major Nobilitas ardentem cereum gestans, tum populus et devotus foemineus sexus. Celebriora Urbis palatia, Nobilium et privatae domus, qua deductio fiebat, sericeis tapetibus et pretiosis ornabantur picturis, cunctis interea campanis per omnia civitatis templa complaudentibus.

Finita processione pontificabat celsissimus Praesul inter omnis generis vocum e duobus choris a. DD. Academ. Philo-Harmonicis, plus (quam) 64 computatis, non numeratis tubicinum choris, productis certamina. Concionem dixit germanicam primam omnium magnae eruditionis vir D. Canonicus Franciscus Bernardus Fischer, sumpto themate: „Buccinate in Neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestrae." Psal. 80., quae typo prodiit. Finito sacro ad intonatum „Te Deum" tormenta tam ex arce jussu inclytorum Statuum, quam ex urbe jussu Magistratus civici, tertio exploduntur ac festive applaudunt. Lautissimo deinde convivio celsissimus Princeps—Episcopus Principem ab Eggenberg et majorem nobilitatem excepit. Tractabat praeterea D. Praepositus sibi addictos, D. Decanus Magistratum civicum, tum reliqui Canonici quisque suos amicos.

A prandio resumpta devotio. Ab hora secunda ad tertiam R. P. Mathias Paradischiz S. J. primum slavonicam pie copioseque ad populum dixit. A tertia ad quartam cantatae Vesperae; sequitur chorus. A quinta ad sextam coram eucharistico Numine in summa ara exposito peractae solemnes Litianiae. Hora sexta omnium primo intravit explicatis vexillis Parochia Cropensis, ac sic finis devooni primae diei impositus.

Die Lunae, 23. Augusti, praeter solitum cantatum sacrum hora 9. solemniter celebravit D. Praepositus. Praevie intravit Parochia Hiperlabacensis cum Vic. e Rutach et Loitsch. Concionabatur Adm. R. D. Bartholomaeus Perko, Parochus Hiperlabacensis. Finitis hora tertia pomeridiana Vesperis et hora quinta Litaniis cantatis, hora sexta fecit elegantem exhortationem R. D. Michael Killer, Vicarius senior cathed. Basilicae.

Die Martis, quae erat festiva s. Bartholomaei Ap., summum officium cantatum peregit D. Decanus, concionem dixit P. Paradischiz S. I. — Processiones solemni ritu et explicatis pulchris vexillis intrarunt Ecclesiam sequentes Parochiae: Monspurgensis, Lythopolitana seu Stainensis, Naclensis, Lustalensis, Tuchanensis, Campestrensis, s. Georgii, Michelstetensis, s. Petri ex Commenda, Zirclensis, Moraitschensis, Wodizensis, e Flödnig, ex Eisnern et s. Martini extra Crainburgum. A prandio finitis Vesperis et Litaniis e suggestu eloquenter peroravit D. Michael Killer, Vic. cathed. Ecclesiae.

Die Mercurii 25. Parochiam ex Zayer festive intrantem excepit summum officium cantatum a D. Canonico Georgio Andr. Gladigk; concionem dixit Curatus dictae Parochiae. A prandio solemnes Litanias secuta exhortatio, a saepe memorato D. Killer fructuose dicta.

Die Jovis, quae erat 26. Augusti, hora septima comparuit solemnis processio universae Academiae Labacensis, seu unitae Congregationis Assumptae et Nativitatis B. M. V. Summum officium

peregit Adm. R. P. Rector, inter propriam selectam musicam a duobus choris productam. Hora nona subintravit Parochia S. Petri extra urbem Labacensem. Concionem dixit Adm. R. D. J. Bapt. Skerpin, Vic. ad s. Petrum. Pontificabat D. Canonicus Franciscus Godefridus L. B. a Pilichgraz. A prandio hora tertia Vesperae et hora quinta solemnes Litaniae sub expositione sacratiss. Corporis Christi.

Die Veneris 27. Augusti, publica devotionis officia rursus in Basilica cathedrali celebrata. Hora 10. pontificabat D. Canonicus Franciscus Bernard. Fischer; hora tertia pomeridiana solemnes Vesperae et hora quinta coram Eucharistico Numine in summa ara exposito peractae solitae Litaniae Lauretanae. Sub crepusculum exhortationem fecit R. D. Mathias Rosman, Capelanus Crainburgensis, ad peregrinantes.

Die Sabathi, 28. Aug., comparuit solemnis processio civitatis Crainburgensis cum pulcherrimis vexillis, hactenus non visis, et tubis. Has subsecutae: Naklensis, ex Höfflein, Podwresiach, Aich et Craxen. Summum officium peregit Adm. R. D. Mathias Krisner, Parochus in Podwresiach. Musicam elegantem composuit et produxit . . ., Ludimagister Crainburgensis. Hora 10. pontificabat D. Canon. Andreas Clementschitsch. A prandio hora tertia solemnes Vesperae et hora quinta Litaniae reproductae.

Die Dominica, 29. mensis Augusti, summo mane intrarunt sequentes Parochiae: Oberburgensis, Fraslauen. Franzen. et Riezensis ex Styria, nec non s. Viti infra Labacum. Hodie secunda solemnis prodiit processio, ordine fere eodem, quo ante octiduum, ut sequitur. Hora octava matutina processit Capitulum ad celsissimum Ordinarium comitandum; qui cum ad Oratorium sacratiss. Corporis Christi pervenit, ubi sacra corpora pridie reposita fuere, dicto de Sanctis hymno incensavit eadem. Dein cantatae Litaniae omnium Sanctorum, quibus horum Sanctorum nomina inserta. Processionis ordinem compendio subjicimus. Principium dedit Clericus crucem portans duobus Alumnis cum facibus ardentibus comitatus. Sequebatur genus omne artificum, nautae, argonautae, piscatores, fabri serarii, auratores, pileones, textores, pelliones, pistores, sutores, sartores, laniones, fabri ferrarii et aliae plures, omnes suis signis, luminibus et sertis conspicuae et inter se distinctae, e binariis perpetuo ordine succedentibus longam seriem confecerant. Hos secutae Congregationes suis signis discriminatae. Tum succedebant religiosi Coetus, omnes pariter accensis cereis. Mox Clericus sacris indutus, crucem argenteam Episcopalem portans, medius inter duos Alumnos faces portantes, quos subsequitur Clerus. Horum vestigia premebant 8 buccinae cum aeneo tympano, tum cathedrales musici sonoro cantu in laudes divorum Martyrum soluti. Tandem aderant duo tumbae s. Vitalis ac s. Variae M. M. Lypsanum, ad arcae modum ex ebeno fabrefactae, auro et gemmis decoratae. Utrique sacro oneri 8 DD. Commissarii, seu Decani rurales, et Parochi sacerdotali veste induti humeres submisere, quibus alii adjuncti, qui succollandi vices alternarent. Inter feretra ibant ephebuli, coelestes genios induti, palmas portantes. A lateribus pariter comitabantur duodecim ephebi, ardentes faces gestantes; nec deerat Alumnus, qui sacra Lypsana thuris incenso identidem subfumigaret. Post haec incedebant DD. Canonici, omnes praeter eos, qui assistebant Celsissimo, pluviali induti. Clausit totius deductionis ordinem celsissimus Praesul, pontificio ornatu conspicuus inter sacros ministros medius, qui defluas pluvialis alas sustinebant, adstantium circumfusae spectantium multitudini benedictionem impertiens. Sequebatur Nobilitas facibus ardentibus, tum populus ingens, cunctis interea campanis ad signum laetitiae sonantibus.

Nomina Comissariorum, seu Decanorum ruralium, et Parochorum, qui sacro oneri pios humeros commodarunt, haec sunt: Antonius Josephus Maren, Commissarius Fraslauiensis, Joannes Martinus Humeg, Commiss. Sotlensis, Michael Arch, Parochus ex Siessenheimb, Bartholomaeus Jenko, Parochus

Naklensis, Valentinus Kuss, Parochus Lauffensis, Andreas Selzacher, Parochus Pilichgrazensis, Daniel Kollar, Parochus Laizensis, Mathias Stopper, Parochus Riezensis, non numeratis iis, qui his subvenerunt.

Illatis in Basilicam Sanctorum Reliquiis, summaeque arae impositis, ubi integro octiduo populi cultui prostabant, Episcopus ad dextram altaris (cornu Evangelii vocant) sub umbella candida purpurea sericea suam sedem accepit. Pontificabat interim D. Praepositus, servatis requisitis caeremoniis. Concionem exquisitam dixit Adm. R. D. Jacobus Schilling, Plebanus Crainburgensis, sumpto themate: „State et videte magnalia Domini.“ (Exod. 14, 13.) Festivitatem musica selecta e duplici choro, cura D. Balthasari Pregl, additis tubis et buccinis auxit. A prandio finitis Vesperis concionem piam ac salutiferam dixit P. Rogerius, Labacensis Capucinus, qua finita officium Defunctorum pro benefactoribus dictum. Hoc subsecutae Litaniae Lauretanae coram exposito ss. Sacramento.

Die Lunae, 30. Augusti, mane hora septima binae intrarunt parochiales processiones, Reifnizensis et Zirknizensis. Hora nona celebrata Synodus Universalis, de qua specialiter fusius suo loco. Orationem synodalem elegantem in tam amplo congressu dixit D. Praepositus, Leopoldus Comes a Cobenzel. Hora decima pontificabat D. Decanus. A prandio Vesperae et Litaniae solito tempore cantatae, quibus finitis sub crepusculum nervose ad peregrinos dixit R. D. Joannes Bapt. Hlapsche, Capell. Reifnizensis.

Die Martis, 31. Aug., mane hora septima ad lucrandas plenarias indulgentias intrare visa processio Wazensis. Ab hora 8. ad decimam reassumpti ritus synodales in hoc secundario celebri congressu. Adm. R. D. Georgius Rossa, Parochus ad S. Martinum extra Crainburgum, sexagenario major, maximo fructu et sui commendatione dixit. Hora decima summum officium cantatum a D. Canonico L. B. de Bilichgraz. A prandio finitis solitis functionibus vesperi hora sexta ad peregrinantes fervide exhortationem fecit R. D. Michael Killer, Vic. loci.

Die Mercurii, 1. Septembris, s. Egidio sacra, omnium copiosissimae comparuerunt Parochiae (cum a popularibus hoc festum juxta veterem consuetudinem observetur), quae universim a diligentioribus 24 numerabantur.

Hora septima ingreditur Iggensis, quibus sermonem fecit R. D. Lucas Pototschnig, Capell. Iggensis; hos subsecuta Treffensis hora octava. Media nona Locopolitana, Pollanen. Zayer, Selzach. et . . . . 140 vexillis, propriis instructa musicis. Hora nona intrat S. Martini infra Labacum et hora decima hos subsequitur S. Viti extra Labacum et sub Kalenberg. Sermonem fecit R. D. Michael Kregar, Capel. S. Viti, quam excepit summum officium fungens D. Canonicus Fischer. A prandio inter solemnes Vesperas adest Ruprechtshoffensis. Hora quarta magno apparatu et pulcherrimis vexillis comparet Rudolfswertensis, S. Cantiani in Hönigstain, Pilichberg, Savenstain, Gurkfeld et Hopfenpach. Ab hora sexta ad septimam concionatus est Ad. R. D. Adamus Lubi Parochus Rudolfswertensis.

Die Jovis, 2. Septembris, hora octava inducta processio Pilichgrazensis. Horum vestigia premebant almae Congregationes s. Rosarii et s. Corrigiae, s. Augustini et Monicae, P. P. Augustinianorum; omnia in hac processione institutae solemnitati respondebant, vexilla, labara et feretra, inter plurimos e numero studentium portata. Subsequitur religiosus Augustinianorum coetus, cum Ad. R. P. Priore Innocentio Rechpeg, pluviali induto, cum suis ministris, quem laudabili exemplo comitabatur Revdiss. et ampliss. Abbas Sitticensis, ac reliquo numeroso utriusque sexus devoto populo. Pontificabat inter exquisitam a suis ex duplici choro inter tubarum et tympanorum festivos clangores pruductam musicam idem P. Prior. Concionem fecit R. P. Adeodatus Bernasch, Ord. s. Augustini. Hora tertia pomeridiana Vesperae et hora quinta Litaniae solita devotione peractae.

Die Veneris, 3. Sept., hora octava pari solemnitate accedunt binae P. P. Franciscanorum Refformatorum Congregationes, Fasciuli S. Francisci Seraph. et Scapularis Mariae Virginis, cum elegantibus vexillis, feretris et tubis ductilibus. Summum officium inter solemnem musicam peregit Ad. Rd. P. Coelestinus Soller, Guardianus loci; e suggestu ad populum dixit R. P. Petrus Stiball. Pomeridianae peractiones prioribus per omnia correspondebant.

Die Sabbati, 4. Sept., utpote speciali Labacensium devotioni destinata, nullae comparuerunt processiones, ut iis, qui hactenus ob exterorum indefessum confluxum devotioni propriae incumbere non poterant, campum darent. Solita proinde hactenus divina officia, pontificante D. Canonico Wetstain peracta, ac sic tota die magna expiatorum copia Deo litatum.

Die Dominica, 5. Sept., ultima festivitatis. Finita festiva processione quatuor initiorum extra Basilicam, magna piorum commitiva, deportante ss. Sacramentum Eucharistiae D. Decano, suggestum conscendit R. P. Paradischitsch S. I. (Ord. cathed.) et ad copiosum populum dixit, sumpto themate . . . . ., qua finita pontificabat sub solemni musica D. Praepositus. Hora secunda pomeridiana juventus omnium Doctrinarum christianarum suis distincta signis suum festum Angelorum celebratura Neo-Basilicam invisit, ubi inductio quaedam ab aligeris comice indutis exhibita fuit. Finitis Vesperis ultimum sermonem dixit D. Killer, Vic. loci, sumpto themate . . . . Hora quinta habitae Litaniae, quas secuta ultima solemnis processio, cui aderat celsissimus Princeps-Episcopus, Eucharistiam portans. Ducebatur haec in gyrum per Forum. Qua pariter finita, idem Praesul hymno Ambrosiano initium dedit, quem omnis generis vocum et instrumentorum certamina ab Acad. Philo-Harmonicis prosequuntur, ac sic universae 15 dierum festivitati feliciter terminatae coronis imposita. Communicantium numerus, qui in Cathedrali Pane Eucharistico refecti fuere, 16 millia facile transcendit, non computando illos, quorum non levis numerus, qui in Ecclesia S. Jacobi P. P. S. I., ad Franciscanos, Augustinianos, Capucinos, Discalceatos et in aliis Ecclesiis sacra Dape saturati fuere.

CAPUT XXIV.

De Synodo generali Dioecesana Labaci celebrata.

Nunc de Synodo Dioecesana Labacensi generali aliqua delibabimus. Praevie hoc loco notandum, quod tale Concilium ea de causa generale dicendum, cum coram utriusque partis Dioeceseos Clero, nempe tam ex parte Carnioliae, quam ex parte Styriae et inferioris Carinthiae, die utpote 3. Cal. Sept., 30. Augusti, 1706. magna solemnitate celebrata fuerit.

Postquam praevio mense Julii omnes per solitas patentes mature invitati sunt, ut ante stabilitam diem pridie, videlicet 29. Aug., se sisterent, ac ad secundas Vesperas debito more decantandas comparerent, paucis ob urgentia motiva exceptis maxima copia adfuere. Sequenti die, nempe 30. Augusti, ut dictum, hora nona matutina haec Synodus solemne initium sumpsit, postquam celsiss. Princeps-Episcopus a Ven. Capitulo et universo Clero ab Aula ad Basilicam comitatus fuerat. Praemissis praemitendis pulpitum conscendit Illustriss. ac Reverendiss. D. Leopoldus S. R. I. Comes Cobenzel, Praepositus Labacensis, ac orationem elegantem dixit.

Altera die, videlicet pridie Cal. Sept., 31. dicti mensis, pulpitum conscendit Ad. Rd. D. Georgius Rossa, Parochus ad S. Martinum extra Crainburgum, qui pariter nervosam ac fructuosam dixit ad fratres congregatos orationem, selectis motivis exhortando ad errigendum summe necessarium Collegium

seu Seminarium Clericorum et instituendam Congregationem Sacerdotum sub invocatione s. Crucis et S. Philippi Nerrei, quae inter reliqua pia opera, ut domus pro Collegio emeritorum Sacerdotum comparetur et fundetur, vel maxime studebit.

Jam ad ea, quae in scrutinio et reliquis sessionibus salubriter et laudabiliter statuta fuere, digrediamur. Articuli in prima sessione ultro citroque ventilati fuere: De honestate, gestu et moribus Clericorum. Secundo de errectione novi Collegii seu Seminarii, quod s. Tridentinum sess. 23. de Reformat. cap. 18 praecipit, ut in singulis Cathedralibus ac Metropolitanis Ecclesiis Seminarium Clericorum pro servitio Ecclesiae ac juventutis recta institutione unice necessarium erigatur, et cum id absque dote notabilibusque mediis neque construi, neque manuteneri valeat, praescribit in eodem citato capitulo, ut iidem Episcopi cum consilio duorum de Capitulo, itemque duorum de Clero civitatis, non extante alia pro Collegio seu Seminario episcopali fundatione, gravare possint, imo debeant omnia Dioeceseos suae Beneficia ecclesiastica ac loca pia.

Cum igitur in cathedrali Basilica noviter reaedificata nulla extet fundatio Collegii seu Seminarii clericalis, summa e contra penuria ministrorum, qui partim ad aram, partim in choro musicorum eidem Ecclesiae diebus saltem dominicis ac festivis deservire possent, aliis vero diebus scholam frequentare: consultum foret, ut, donec alius fundationis modus seu alii benefactores comperti fuerint, a singulis Dioeceseos Beneficiis, Ecclesiis ac locis piis subsidium charitativum praestetur; si e contra quispiam gravamen aliquod desuper sentire crederet, id tunc proferre, aut ex postscriptis praestare posset.

CAPUT XXV.

De consecratione cathedralis Basilicae.

Templo proinde, ut hactenus vidimus, ad summitatem turrium usque constructo ac perfecto, decrevit Princeps-Ordinarius loci consecrationem eiusdem Templi juxta ritum veteris moris singulari celebritate ad perpetuam posterorum memoriam instituere ac quanta posset solemnitate Deo optimo maximo integro octiduo litare.

Dies inchoandae solemnitati initio Aprilis octava Idus Maji ann. 1707, ut veteri laudabili instituto inhaereret, designata, nec interim quidquam omissum, quod vel ad devotionem vel splendorem institutae celebritatis augendum faceret. Numi missiles seu monetae honorariae Augustae Vindelicorum cudendae commissae, sacrarum aedium parietes in decentem formam redactae ac iis 12 aeneae cruces deauratae affixae, marmoreae pergulae oratoriis impositae, chori musices novis sellis exstructi, altaria concinne adornata; nec non, ut magis ab externa pietate pariter resplenderet instituta festivitas, placuit Augustissimum Imperatorem Josephum I., qua terrae principem et fundatorum munificentissimorum suc cessoremet Augustam Imperatricem Amaliam, et Aug. Eleonoram viduam per litteras a secreta Cancelaria expeditas quam demisissime invitare. Transmissae pariter invitatoriae ad plurimos conspicuos principes, mitratos et magnates, speciatim ad Principem de Salm, supremum Aulae Praefectum, Archi-Episcopum Pragensem, Coadjutorem Archi-Episcopatus Salysburgensis, Episcopum Frisingensem, Viennensem, Lavantinum, Seccoviensem et Chiembsensem, Suae Majestatis Locumtenentem Graecensem, Camerae Aulicae Praesidem et Consilii Aulici Praesidem nec non Burggravium Carinthiae, in Patria ad inclytos Status Carnioliae; intimata pariter universae Dioecesis Labacen. Plebanis et Commissariis festivitas ab Officio

Episcopali, viciniores vero ad eandem solemnitatem vocati, nec non incolis 1. Maji e pulpitis Labacen. promulgata.

Interea 5. Maji hora quarta pomeridiana campana major, liberali aere, ut suo loco diximus, Petri Antonii Codeli, Patritii Carn. et Carinthiae comparata, in turri campanaria, quae septentrionem respicit, solemni ritu assistentibus D. D. Canonicis L. B. a Bilichgraz et Fischer consecrata fuit.

Pridie igitur omnia ad solemnitatem pertinentia prospere et magnifice parata, Principe nullis parcente sumptibus, quo tantae festivivitati, tam in sacris, quam prophanis, splendor accresceret. Ambitus porro areae Basilicae longa arborum serie nec non pensilibus foliorum ornamentis excultus, tum procerarum pinorum frondes hinc inde concinne dispositae. Portae laterali, quae plateam respicit, princeps inscriptio apposita, eleganter defluo auro et argento ornata, quae sic sonat:

D. T. O. M.
VETERI EPISCOPALI AEMONEN. SEDE
FVRORE ATTILAE DELETA,
D. NICOLAI EPI CVLTVI PISCATORVM OPE
PRIMITVS HEIC AEDICVLAM EXTRVCTAM:
TVM AVSTRIACA MVNIFICENTIA
IN CATHEDRALEM ECCLESIAM EVECTAM:
INIVRIA TEMPORVM DEHISCENTEM
IVGI LABACENSIVM PIETATE
IN HANC, QVAM SPECTAS, BASILICAE MAIES-
TATEM FVNDITVS REAEDIFICATAM,
QVOD FELIX, FAVSTVMQVE SIT!
FERDINANDVS XIV. EPISCOP. LABACEN:
S. R. I. PRINCEPS
TERTIO SOLENNI RITV
CONSECRAVIT
VIII. ID. MAY. AN: Xti. CIƆ. IƆ. CC. VII.

Septima Maji Princeps Ord. loci Vesperas solemnes, ut tantae festivitatis initio pondus adderet, ipse perfecit. Qua die Labacum appulit Burggravius Carinthiae, Comes a Rosenberg, S. C. M. Cons. int., comitatu 16 equorum, ad hunc actum, ut suo loco dictum, pariter specialiter invitatus. Quem rite excipiendum, currum sex equis tractum pridie Episcopus Crainburgum obviam misit, ubi a Parocho Civitatis nomine Suae Celsitudinis Reverendiss. humaniter susceptus, ac huc commitatus, in hospitio publico „ad Imperialem coronam“ divertere statuit, ne ullum e tribus Principibus, e quibus invitabatur specialiter, offenderet. Expectabantur plures mitrati, Lavantinus, Seccoviensis etc., quos fors injuria temporis, quae secuta praepedivit.

Octava itaque Maji, die Dominica mane hora sexta, initium consecrationis datum. Quo actu hora decima feliciter terminato, adest magno apparatu Legatus Caesareus celsiss. Princeps I. Josephus Ant. ab Eggenberg, Capit. Carnioliae, a numerosa facultate juridica et medica nec non aliis Provinciae officialibus stipatus, superbo curru 6 equis ducto, vectus, ab aula Episcopali buccinarum ac tympanorum clangore salutatus, quem in limine Templi portae regiae excipit debita submissione Rdss. D. Praepositus et Decanus cum duobus Canon., a quibus pie aqua benedicta suscepta ad locum desti-

natum commitatus (thronus erat pretiosus, e regione Principis Ordinarii loci locatus), ubi consederat. Inde pariter Principe Episcopo suo throno incumbente D. Praepositus Leopoldus, Comes a Cobenzel sacris operari coepit, binis musicorum choris (tubicines non computando et Hautsbris (?) vulgo, qui speciales choros confecerant,) quos facile 50 selecti Academici Philharmonici, rem ordinante Bertholdo ab Höffer, Patritio Carn. et fundatore dictae Academiae, occupaverant, omnus generis vocum et instrumentorum amoenissima varietate festivissime concertantibus.

Finitis sacris peractionibus Princeps Episcopus Principes et Proceres Patriae lautissimo prandio excepit, qui 24 numerabantur, e quibus tres sub baldachino sedebant. Legatus caesareus primo loco, a dextris Maria Anna Principissa ab Auersberg, a sinistris Princeps Franciscus Carolus ab Auersberg. Caetera nomina hospitum: L. B. ab Halden, qua Deputatus Episcopi Frisingen., Burggravius Carinthiae Comes a Rosenberg, Weichardus Comes et Dominus a Gallenberg, Consil. int. S. M. C. Locumtenens Provinciae, Wolf. Engelbertus Comes ab Auersberg, S. C. M. Cons. Int. Mareschalus Carn., Franc. Adam. Ursinus, Comes de Blaggay, S. M. C. In., Antonius L. B. a Gallenfels, Abbas Sitticensis, Wolf. Herbard. Com. a Lamberg, Josephus Oswaldus Comes ab Attimis, Weichardus Ferdinand. Comes Barbo, Orffeus Comes a Strassoldo, Sigefridus Comes a Gallenberg, Sigefridus Comes ab Auersberg, Sigismundus Comes ab Auersberg, Weichard. Leopold. Ursinus Comes a Blaggay, Catharina Elisabeth Maria Anna Commitissa a Vermundtin, Generalissa, Mareschalchi conjux . . . . Comitissa a Gallenberg, Maria Anna Comitissa ab Auersberg, Luceta Commitissa a Strassoldo.

A prandiis finitis Vesperis primus hora quarta conscendit suggestum cath. Basilicae R. P. Mathias Paradischitsch S. J. exponendo textum „Hodie salus huic domui facta est." Hanc subsecutae sunt solemnes Litaniae Laurethanae.

Die Lunae visitavit neo consecratam Basilicam Congregatio germanica immaculate Conceptae processionaliter ardentibus cereis, suis labaris, choro tubicinum, cymbalorum et vocalistarum instructa. Pontificabat D. Decanus. Concionem insignem dixit R. P. Hasfurter S. J., Argentoratensis. Textus erat: „Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini hoc est." (Jerem). — A prandiis ut heri.

Die Martis adest Congregatio sacratis. Rosarii cum Sodalitate almae Corrigiae s. Augustinae et Monicae, suis pariter adornata feretris, labaris et vexillis. Summum sacrum cantabat . . . ., concionem dixit R. P. Adeodatus Bernasch, August., textum sumpsit: ,,Non est hic aliud, nisi Domus Dei et porta coeli".

Die Mercurii pontificabat D. Canonicus Gladitsch, concionem dixit A. R. P. Joannes Bapta. a S. Regina, Prior PP. Discalc. Textus: ,,Hunc locum mihi elegi, ut sit nomen meum ibi in sempiternum." (Paralip.)

Die Jovis adest Congregatio Assumptae, conjuncta cum Sodalitate Nativ. B. M. Virg. cum universo almo Senatu Academico, magno apparatu, suis cereis et albis faculis, labaris et vexillis, nec non spectabili feretro (quo statua D. Ignatii argentea portabatur) condecoratata, ac tribus pariter choris musicorum praevisa. A prandiis Vesperae cantatae et hora quinta Litaniae pariter cum expositione Sanctissimi suavissime cantatae.

Die Veneris, quae erat 3. Idus Maji, cantato hora sexta solito sacro et finito hora nona choro, officium cantabatur a D. Francisco Godefrido L. B. a Pilichgraz, Canonico. Successit concio panegyrica, quam dixit R. P. Ivo Leibnicen. Capucinus, ord. concionator cathedralis, sumpto textu: ,,Domine dilexi decorem domus Tuae et locum habitationis gloriae Tuae". Aderat huic pariter celsiss. Princeps-Episcopus. A prandio ut heri.

Die Sabbati. Finitis solitis peractionibus hora nona novus adest supplicantium ordo. Binae Sodalitates, utpote Scapularis B. M. V. Carmeli et Fasciculi divi Francisci, suis pariter ferestris et vexillis, nec non tubarum et cymbalorum choro instructae. Pontificabat Ad. R. P. Vincentius Lampretich Guardianus PP. Franciscanorum Ord. Reform. Provinciae Carnioliae, qui eosdem cum suis Fratribus commitatus est. Tum in laudem Basilicae admodum eloquenter peroravit R. P. Bernardus Schein, Labacensis. Concio: expositus textus: „Magna erit gloria domus istius novissimae." A prandio ut heri.

Die Dominica, utpote Octava festivitatis. Hora septima a D. Andrea Clementschitsch Canon. Labac. officium cantabatur. Hora octava suggestum conscendit R. P. Mathias Paradischitsch S. J., ord. cathed. concionator, sumpto themate: „In domo Tua oportet me manere". Hanc secutus chorus solitus, quo finito summum officium, praesente celsiss. Episcopo, nec non Principe ab Auersperg et Eggenberg, Principissa vidua et aliis e summa Nobilitate plurimis, cantatum inter exquisitam musicam a Reverendiss. Leopoldo Comite a Cobenzel, Praeposito Labacensi. Concionem dixit D. Franciscus Bernardus Fischer, Canonicus cathedralis Ecclesiae, idiomate germanico, exponendo textum: ,,Et fecit die octava collectam, eo quod dedicasset altare septem diebus.'' (2 Paralip. v. 7.) Hora quarta pomeridiana finitis Vesperis tertia concio seu ultima slavonica habita fuit a R. P. Rogerio, Labacensi Capucino, ordinario dominicali concionatore Conventus eorum. Sumpsit textum: ,,Compleverunt, consecrarunt domum Domini et obtulerunt munera''. Finita concione hora quinta cantatae e duplici choro Litaniae Lauretanae cum expositione ssmi. Sacramenti (uti factum integro octiduo, assistente in pontificalibus uno alternatim e DD. Canonicis). Condecoravit has celsiss. Princeps pontificali fulgens purpura; quibus peractis instituta solemnis processio circa Basilicam, deportante ipso Principe sacram Eucharistiam, assistentibus D. Praeposito, Decano et seniore D. Canonico in pluvialibus, reliquis quatuor DD. Canonicis in dalmatica, alternantibus tubicinum et tympanorum choris ac cunctis interea campanis complaudentibus. Antecessit innumera multitudo comprecantium ardentibus cereis; secuta Nobilitas ardentibus facibus cum aulico comitatu et longa popularium appendice. Cum reditum Princeps mox hymno Ambrosiano initium fecit, quem omnis generis vocum et instrumentorum certamina DD. Academicorum prosequuntur.

Vesperi demum post pulsum Angelicum cum copiosa Nobilitas in aula Episcopali societati indulgeret, saepe memoratus D. ab Höffer Acad. Philharm. institutor, una cum D. Praeposito hinc „Serenatam" vulgo vario instrumentorum genere, inde tubicinum et tympanorum chorum, in turribus illuminatis magno incolarum applausu instituit.

Sic abiit feliciter octiduana consecrationis instituta solemnissima festivitas, inter quam nulla dies abiit absque signo laetitiae. Tractabantur lautis epulis hospites, utpote die Lunae a Principe Capitaneo, die Martis a PP. Soc. Jesu sub Turri, die Mercurii a Principibus ab Auersberg, die Jovis a Comite a Gallenberg, Locumtenente, die Veneris a Principe Episcopo, die Sabbati a Praelato Sitticensi, die Dominica demum a cels. Ordinario. Tripudiabat pariter vicinitas Cathedralis integro octiduo tum tractationibus, tum musicali concertu. Ne vero institutae celebritatis memoria exolesceret, propagavit eandem Princeps argentea moneta honoraria, qua non solum hospites exteros, sed et domesticos, nec non faventiores plurimos muneratus est.

CAPUT XXVI.

Monumenta ac inscriptiones Neo-Basilicae.

Dedimus benigno lectori Cap. 7. inscriptiones veteris Basilicae, restat, ut pariter novae Basilicae monumenta et inscriptiones eidem communicemus, e quibus primum locum sibi vindicat monumentum illustriss. familiae Comitum a Blaggey, quod, postquam prius, rupta fornice cum Ecclesia destruetur, in mille frusta disjectum, eius loco surrogatum est, et sic sonat:

VIATOR HEIC PEDEM, SIMVL ANIMVM
FIGE.
VBI VIRTVS VRSINA
SITA VIVIT, MORI NESCIA,
QVAM
AETERNITATI DVDVM COPVLARVNT
MERITA.
EXVVIAE NON GLORIA EBERHARDI LEOPOLDI VRSINI COM. A BLAGGEI
HEIC TVMVLANTVR.
QVAERIS STEMMA? E NOBILISSa. ROMANORVM VRSINORVM FAMILIA ORIGINEM
SVMPSIT.
MIGRATIONEM? AN: CI. C. LX. IN SLAVONIA CONSEDIT, COMITATV BLAGGEI
A TVRCIS ANTE BINA SAECVLA EXVTA IN CARNIOLAM SE RECEPIT.
MERITA? HAEC FAMA TIBI RESERABIT.
AETATEM? OBIIT PLENVS DIERVM SEPTVAGENARIO MAIOR, AN: 1680, DIE 30.
MARTII.
CVI VT MEMORI POSTERITATI IN
CONSPECTV FORET
FACVNDVM HOC SAXVM
FRANCISCVS ADAMVS VRSINVS, COM. A
BLAGGEI S. C. M. CONSIL. INTIMVS,
PATRI PIISIo. SIBI, ET POSTERIS
FACIENDVM CVR. AN: CIↃ. IↃ. CC. VI.

Monumentum porro celsissimae familiae Principum et Comitum a Lamberg vetus supra dedimus, restat proinde, ut id renovatum huc inseramus, quod sic sonat:

HEVS VIATOR!
GENTIS LAMBERGICAE
PVRPVRA, MITRIS, SAGO ET TOGA
TOTA EVROPA CLARAE

TVMVLVM ATTIGISTI
CAVTE HEIC AMBVLA
PRIMI SANCTAE HVIVS BASILICAE
ANTISTITIS SIGISMVNDI
SACRVM CORPVS
CAETERORVMQVE TOT HEROVM ILLVSTRISos.
CINERES HEIC CONDITOS
VENERARE,
TVM IMBRIBVS SAXVM RIGA
QVID TOTIVS DIOECESEOS, ET
PATRIAE LACRIMIS
IMPLVITVR.
M. P. ANNO PARTAE SALVTIS CIↃ. IↃ.CC. IX.

Inscriptio tumbae aeneae:

„Hac tumba quiescit celsa pietate conspicuus Sigismundus Illustri stirpe Lambergiana oriundus, primus Praesul restaurati Episcopatus Labacensis. Obiit XVIII. Jun. An. 1488.

In Sacello sacratiss. Triadis, quod perillustris Petrus Antonius Codelli a Fanenfeld, Patritius Carnioliae et Carinthiae exstruxit et liberali aere exornavit, errecto ibidem sibi suisque monumento, cuius haec inscriptio:

STA VIATOR, ET FIRMVS CREDE,
QVOD TIBI MORTVVS ETIAMNVM LOQVOR,
ERRAT
QVISQVIS ME EXISTIMAT FVISSE ALIQVID,
CVM NIHIL FVERIM EX NIHILO FACTVS:
EX NIHILO MEI RVRSVS IN NIHILVM REDACTVS.
CREATA OMNIA, QVID? MERVM NIHIL.
AT HOC NIHILO MAIVS
NIHILVM VITAE.
QVID DIVITIAE? QVID OPES SAECVLI?
ID PROBE NOVI;
CVM E VITAE SOMNO AETERNVM EVIGILANS
NON REPERI IN MANIBVS ALIVD
PRAETERQVAM
NIHIL.
HINC CAVE, NE IN NIHILO MVNDI
LAETERIS.
NEQVE NIHILVN PRAE DEO AMPLECTARIS
NAM SIC EX NIHILO BEATVS ERIS
HAEC TE PETRVS ANTON: CODELLI A FANENFELD
PATRIC. CARNIOLIAE, ET CARINTHIAE MONERE
VOLVI, ABI.
MON. P. AN: M.DCC.XII.

APPENDIX.

Succincta descriptio Templi cathedralis Labacensis.

Basilicam cathedralem Labacensem, divo Nicolao Archiepiscopo Myrensi, magno Praesulum sideri, avito Labacensium Patrono et aquis periclitantium speciali asylo sacram, piscatores septeno a partu Virginis saeculo Tutelari suo levi structura suscitarunt, cuius ectypon omnium oculis prostabat in veteri cathedrali Ecclesia sub choro musices, anno gotthicis litteris annexo, vetustate pene obsolitis: D.CC.X̂V. — Surrexit illa in majorem molem anno 1461, munificentia Friderici Imperatoris III. et Leonorae, reginae Portugaliae, augustae conjugis, quo utroque majus pietate et clementia aetas illa non vidit. His quidquid meretur, grata posteritas debere fatetur, utpote, qui avitam episcopalem sedem ab Hermagora, Patriarcha Aquilejensi, qui has oras prima fide tinxit, stabilitam, anno 451. furore Attilae funditus deletam, pristino decori manciparunt. Verum, cum et illa tractu temporis pluribus locis suis scissuris dehisceret et proximae ruinae metum incuteret, adhuc majus Labacensium pietas molitur opus, cum Deo domum, quo decet decore parat. Hanc Numinis benignus favor, tum cana aedilium perspicacia libero in situ posuit ad quatuor mundi plagas e diametro, quin omnium lumem abundanter recipiat et quod beatissimum est, ad Orientem, ut solem orientem, puta Salvatorem mundi, ad mentem Romanae Ecclesiae et veterum christifidelium, mane precantes adorent. — Augusta Templi facies, cui binae turres incumbunt, ut conjunctis vocibus aeris campanarum et sociata aemulatione Deum laudent Creatorem. Medium tecti utriusque elegantes coronant pergulae, alibi vix tam apte eo locorum visae, e quibus velut e speculo per late patentem Labacensem agrum amoenissimus prospectus.

Porta major aeterno bini coloris marmore fabre emarginata ad majestatem sat ampla, cum duobus lateralibus pari arte confectis, omnibus fidelibus Deum adoraturis patet. Porro ingredienti ipsam Basilicam tanta varietas rerum et exhilarantia picturarum, ceu pietatem instilantia occurrunt argumenta, ut recte dubites, unde eandem lustrandam initium sumas. A summa ara, tanquam a digniori ordiamur. Hic videndum pavimentum ex atro et pario lapide, non aequali, quod solet, sed rariori forma suum pretium venditans. — Arae medium locum occupat divus Nicolaus, qui decantata manu equitis Liberi, insignis pictoris Veneti ad pretium singulare pietatemque effulget. Oculos sublevantibus occurrunt laquearia opere gypsato varias in formas subacta: quidquid his medium supplevit admiranda ars eminentissimi pictoris Julii Quallaei, Mediolanensis, e Laino Comensi, cuius spirantes prope imagines, quo diutius usurpantur oculis, tanto vehementius prodigiosa sua amoenitate fascinant intuentes.


Videas praeterea summum specimen architecturae ad normam Andreae de Puteis, vulgo Pozo, e S. J., architectorum nostri aevi facile principis, intra breve quinquenii spatium totam molem praeter omnium expectationem ad summitatem deductam; cui, si tholus ab eodem insigni authore delineatus, accesserit, nil relinquetur, quod ultro desiderari possit. — Quatuor sane musices chori reliquo operi haud exiguam addunt gratiam, nec non octo per latera Templi ex intervallo locatae arae, quarum egregiae icones a celeberrimis pictoribus comparatae, magnam augent majestatem; quibus merito accensenda quatuor loculamentis, totidem pilis sub tholo prostantibus impositae statuae non parum spirant Basilicae magnificentiam, totidem pilis maximo emispherio suppositis. Angelus de Putis, sculptor celebris, 10. Febr. anni 1713 primo loco S. Maximi . . .

Antequam hinc abeas, juvat tantisper forinsecus Templum lustrare. Remoratur nova meditatio tum quatuor elegantium picturarum, quibus quatuor mysteria, ad quae totidem initiorum Evangelia statis decantantur temporibus, praestanti penicillo adumbrantur, tum selecta monumenta, ex ruderibus veteris Aemonae deprompta, ac ad excitandam in posteris prosperam illius memoriam eo locata. Uno verbo te absolvimus, nihil in hoc Templo intra artis aut elegantiae mediocritatem stare, ut si ex utroque idipsum censeas, si non inter amplissimas, merito inter venustissimas totius Germaniae Basilicas reponas.



INDEX.

Fig. 1.



Planta veteris cathedralis Basilicae Labacensis a Carolo Martinuzi delineata año 1700.

1. Ara major s. Nicolai
2. Corporis Christi,
3. S. Andreae,
4. Ssae Trinitatis,
5. S. Georgii, Patroni urbis
6. S. Barbarae,
7. S. Magdalenae,
8. Omnium Sanctorum
9. S. Crucis,
10. Redemptoris mundi
11. B.M.V. Coronatio.

Fig. II.




Fig. V

Fig. IV.








Fig. VI.

Fig. VIII.


LABACVM


INSTAV-
RATIO BASI-
LICAE CATHED.
LABACENSIS
S. NICOLAO
SACRAE


S. NICOLAE ECCE TEMPLVM
TVVM


FERD.
DINANDO I
EPIS. LABAC.
S.R.I. PRINCIPE
EX COMIT. A
KUENBURG


ANNO IVBILAEO
LABACVM


CLEMEN.
XI. PONT. MAX.
LEOPOLD. MAGNO
IMP. ROM. IOS.
ANT. PRIN. AB
EGGENBERG
CAPIT. CARN.



Latus Basilicae cathedr. Labaci



…sis Anno 1701. dirrutae

